Fridericus Schuchardt.

De Graecorum Versibus Quorum

Membra Ambitu Increscant

Commentatio Metrica.

DE GRAECORVM VERSIBVS QVORVM MEMBRA AMBITV INCRESCANT COMMENTATIO METRICA

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM AVCTORITATE ET CONSENSV AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM IN ACADEMIA PHILIPPINA MARPVRGENSI ORDINIS AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

FRIDERICVS SCHVCHARDT
GRAEFRATHO-SOLINGIENSIS BORVSSVS

MARPVRGI CATTORVM A. MCMXV
TYPIS CHR. SCHAAF

Dissertatio ab amplissimo philosophorum ordine referente Theodoro Birt probata est die XXVII mensis Iulii MCMXIV.

Parentibus

S.

Gradationes in partitione versuum Graecorum obvias, rem subtiliorem et de qua diligentius omnino non sit actum, hoc libello examinare instituam. Nam versus unus quisque in membra sive partes aut binas aut plures dividitur; quaeritur de ambitu harum partium, qui non solum variari solet sed etiam per gradationem quandam increscere. Haec ego artificia dum examino ratione utar ea, ut primum quidem carmina hexametris condita in censum vocem, deinde pergam ad versus iambicos imprimis poetarum scaenicorum, denique in opellae calce adiciam paucula de sententiis eorum, qui hexametri et trimetri origines indagaverunt.

Priusquam autem aggrediar ea ipsa, quibus has chartas complendas dedi, aliqua praemittenda esse arbitror de caesuris, quippe quarum haud tenues sint in computatione mea partes. Nec vero ea, quae sunt *ἀεὶ ὑμνούμενα,* velut verba sensu coniungenda seiungenda non esse metro, ullo pacto attingerem, nisi hanc legem nuper quidem violatam esse vidissem a Johanne Pelckmann; qui (Versus choliambi apud Graecos et Latinos historia, diss. Kiliensis 1908, pg. 22) Callimachi metitur choliiambum sic

ἐφθέγγεθ' ὡς ὁ | πηλὸς ὁ Προμηθεῖος.

Immerito. Nam si legis, ut legi vult ille, sive Callimacheum istum versum sive alium qualemcumque instructum una tantum caesura: caesura haec una, quo maior in ea accumulata est vis, eo magis fodicat audientium aures instituta contra enuntiati nexum ac sensum, eoque hercle minus statuatur oportet contra enuntiati nexum ac sensum.

Similiter autem ac Pelckmannus egit Masqueraius, cuius libellus multorum manibus teritur (Masquerai, P., traité de métrique Grecque, Paris 1899, pg. 48 sq.): «Les Grecs, qui comprenaient sans effort leur propre langue, jugeaient autrement que nous. Un vers, qu'il fût, formait un tout, qui avait quelque chose de musical et presque d'immatériel. La césure, imposé par le rythme, valait par elle-même en déhors de la signification des mots qu'elle séparait:

πρόσθε λέων ὄπιθεν δὲ | δράκων μέσση δὲ χίμαιρα.

Voilà la véritable division homérique; l'autre est plus récent». Immo his antiquioribus temporibus caesuram re vera fuisse *τομήν,* in qua inerat aliquid pausae, postea ex multis rebus concludemus. Infirmis autem argumentorum subsidiis Masqueraium niti ex eis intelleges, quae leguntur ibidem pg. 50: «N'oublions pas en effet que dans les trimètres jambiques la césure est quelquefois placée entre un substantive et une particule enclitique, qui sont pourtant unis très étroitement:

ἐγὼ προφήτης σοι λόγων γενήσομαι (Eur. Bacch. 211)».

Hic valde errat ille. *Σοι* enim vocabulum hic (atque similiter se habet res ubique) non est encliticon, sed ipsum in se accentum habet, legendusque versus est

ἐγὼ προφήτης | σοὶ λόγων γενήσομαι.

De quibus rebus cum in paginis insequentibus largius disputaturus sim, nunc copiosius non dicam. Hoc saltem adicere liceat memet neque cum Pelckmanno Masqueraiove facere ut sensu repugnante caesuras temere collocem principales (nam de secundariis et ubi complures exstant incisiones paulo aliter existimandum esse postea videbimus) neque e contrario secutum Hermanni praescripta (Elementa doctrinae metricae, 1816, pg. 32/33) sensui in adhibendis caesuris iusto plus tributurum esse (etenim ne in sensu solo omnem incisionum efficiendarum ponamus vim, vel eo impedimur, quod versus ipsi saepissime ibi finiuntur,

ubi non finitur ulla sensus particula). Itaque ego hac quidem in re auream diligens mediocritatem stabo a Guilelmo Dindorf. Cuius legas sententiam: «Caesura . . . ., qua efficitur, ut vox recitantis paullulum subsistere possit» (Poetarum scenicorum Graecorum ed. quinta pg. 37).

Quibus praemissis munus ipsum aggredienti mihi agendum est de hexametris inquirendumque, num qua in illis conficiendis intercesserit gradatio.

Atque primo quidem loco afferre decet grammaticos antiquos et ipsos Gellio referente et alia indagasse et «quis versus esset, qui per singula vocabula singulis syllabis incresceret» (Noct. Att. XIV, 6); quorum versuum rhopalicorum, qui sunt rarissimi[1]), exempla solent adscribi Hom. *Γ* 182 *Ὦ μάκαρ Ἀτρείδη, μοιρηγενές, ὀλβιόδαιμον*[2]) et Plotii Tuccae:

quae quarum facie pulcherrima Deiopeia.

En talibus quoque versibus gradationem quandam membrorum inesse statuimus, sed peiorem illam et quae oculis potius quam auribus percipiatur. Ego autem, qui haudquaquam syllabas tantum ut grammatici illi numerabo, nihilo minus maximi faciam Gelliana verba, utpote ex quibus me tota in hac versuum tractandorum materia etsi plenius quam grammaticos antiquos, tamen non contra grammaticos antiquos disputaturum esse intellegatur.

Neque id memorasse a nostra quaestione alienum videtur, quod, seriem copiosissimam carminum inde ab Homero usque ad Claudiani memoriam hexametris conditorum si percensueris, semiquinariam quae caesura dicitur

---

1) Temporibus demum recentioribus, cum omnino varii ludi metrici increbrescebant, saepius inveniuntur. Nam Oratio, quae fertur Ausonii (Ausonius X, ed. Schenke pg. 31), tota condita est hexametris rhopalicis.

2) Hanc grammaticorum antiquorum sententiam inanem esse inde quoque intelleges, quod fortasse legendum est aut *Ἀτρεΐδη* aut *Ἀτρεϝίδη*, qua mutatione hic versus rhopalicus esse desinit.

initio rariorem paulatim quasi praepollere animadvertes. Nam apud Homerum ipsum caesuram *κατὰ τρίτον τροχαῖον* praevalere constat; nec recte iudicat Hermannus, qui in Iliade et Odyssea semiquinariam saepius occurrere iecit (Orphica, 1805, pgg. 690 sqq.). Ergo cum antiquitus caesura, quae est post tertium trochaeum, longe tritissima fuisset, postea semiquinariam crebrius usurpare coeperunt, eo scilicet fine, ut versuum partibus, quae per caesuram tertii pedis trochaicam dividuntur paene pares, disparibus redditis pars prior brevior, longior altera fieret, gradatioque aliqua interreperet. Haec vero in propatulo posita sunt nec diutius eis immorari operae pretium.

Iam vero tertium, quo ornantur hexametri Graeci, breviter describamus oportet gradationis genus factum in eis versibus, qui semiternaria simul et semiseptenaria instructi sint. Quorum exempla propono ex Iliade

πρόσθε λέων, | ὄπιθεν δὲ δράκων, | μέσση δε χίμαιρα

et *οἰνοβαρές, | κυνὸς ὄμματ᾽ ἔχων, | κραδίην δ᾽ ἐλάφοιο.*

Hos versus tripertitos iamdudum nimirum notos gradationis lege pactos esse cognovit Birtius. Quem audi disputantem: «adaugentur enim ambitu ita, ut a triplici semipede ad quadruplum indeque aequo gradu ad quinquiplicatum provehantur» (Ad hist. hex. lat. symb., diss. Bonn. 1876, pg. 15). Birtius autem, qui omnino, quod sciam, solus de eiusmodi gradatione vel progressione etsi obiter tantum tangens aliquid novi attulit praeter ea, quae aut antiquitus nota erant aut in propatulo sunt posita: nec respiciebat ille nec in animo habebat respicere nisi poetas Latinos, quamquam Latini hoc quoque hexametri ornamentum ex Graecorum manibus acceperunt.

Sunt autem, qui tales versus sic potius legant

πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ | δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα

et *οἰνοβαρές, κυνὸς ὄμματ᾽ | ἔχων, κραδίην δ᾽ ἐλάφοιο.*

Quod ne faciamus impedimur duabus rebus, et quod inveniuntur hexametri his caesuris omnino carentes velut

ἢ Αἴας, ἢ 'Ιδομενεύς, ἢ δῖος 'Οδυσσεύς (*A*, 145)

et quod in aliis eius formae hexametris per anaphoram quam dicunt demonstratur, quomodo sint legendi. Etenim versus ille Xenophaneus

οὖλος ὁρᾷ, οὖλος δὲ νοεῖ, οὖλος δ' ἐπακούει

recte non potest intellegi, nisi haec forma agnoscitur

— ⏖ —
⏖ — ⏖ —
⏖ — ⏑⏑ — ⏒

Qui autem nihilo minus tales quoque versus sic legere malunt

οὖλος ὁρᾷ, οὖλος δὲ | *νοεῖ, οὖλὸς δ' ἐπακούει*

dicentes in caesura omnino non inesse vocis pausam, eorum sententia refutatur vel ipsa voce *τομή*, ex qua versum est caesurae vocabulum. Semper enim etiam in rebus corporeis ubi *τομή* fit, nascitur aliquod spatium quod hiet.

Quartam vero quandam invenire arbitror gradationis formam, quae adhibetur in hexametris tripertitis efficiturque senis ictibus versuum rhythmicis ita distributis, ut primae hexametrorum partes singulos, binos secundae, tertiae ternos ictus sibi assumant; cum contra in forma tertio loco nobis tractata ictus versuum ita constituantur, ut et primae et secundae et tertiae partes binis quaeque ictibus feriantur. Sed exempla poscis formae progressione instructae quartae. Iam Panyassis (Epic. Graec. frgm., Kinkel, frgm. 12, pg. 258, vrs. 13) cum uno versu tres laudes vini contineri voluisset, primae laudi unum, duos secundae, tertiae tres ictus metricos attribuit

ἐσθλόν, | *ἀλεξίκακον,* | *πάσης συνοπηδὸν ἀοιδῆς.*
–́ ⏑ | ⏑ –́ ⏑ ⏑ –́ | – –́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑ –́ –

Saepe haec hexametri forma usurpatur, ubi est enumeratio. Ex permultis eius modi versibus nonnullos exempli causa adscribo:

λάθρῃ, | ἀνωϊστί, | δόλῳ οὐλομένης ἀλόχοιο (δ, 92)
τυροῦ | καὶ κρειῶν | οὐδὲ γλυκεροῖο γάλακτος (δ, 88)
αὐτῷ | καὶ παίδεσσι | καὶ αἰδοίῃ παρακοίτι (γ, 381)
κλήθρη τ' | αἴγειρός τε | καὶ εὐώδης κυπάρισσος (ε, 64)
σκῶπές τ' | ἴρηκές τε | τανύγλωσσοί τε κορῶναι (ε, 66)

Saepe quoque, maxime apud Hesiodum, enumeratio fit nominum propriorum velut

Δωρίς καὶ Πανόπεια καὶ εὐειδὴς Γαλάτεια (Theog. 250)
Κυμώ τ' Ἠιόνη τε ἐυστέφανός θ' Ἁλιμήδη (Theog. 255)
Καινέα τ' Ἐξάδιόν τε καὶ ἀντίθεον Πολύφημον (*A*, 264)
Περσεύς τ' Ἄρητός τε καὶ ἀντίθεος Θρασυμήδης (γ, 414)

Hic autem versus bucolicus (Theocr. XXVI, 1)

Ἰνὼ κΑὐτονόα χὰ μαλοπάραυος Ἀγαύα

quem versum Wilamowitzius ex Hesiodi imitatione factum esse dicit (Textgesch. d. gr. Buk., pg. 217) vel conformatione sua imitationem prae se fert.

Sic ex *Ω*, 261

ψεῦσταί τ' ὀρχησταί τε χοροιτυπίῃσιν ἄριστοι

factus est versus eiusdem formae

μῖμοί τ' ὀρχησταί τε χοροιτυπίῃσιν ἄριστοι

(Brandt et Wachsmuth, Corp. poes. ep. Gr. lud. I pg. 107).

Quae vero causa fuerit, ut in his quos adscripsi versibus epitheta ornantia non adiecta sint nisi nominibus postremo versuum loco positis, id nunc intellegimus.

Ut legem confirmem, hic quoque niti licet anaphoris et omnino verbis iteratis; nam illis pausae et incisiones indicantur. Sunt autem verba aut ter iterata, velut

τίς γῆ, τίς δῆμος, τίνες ἀνέρες ἐγγεγάασι; (ν, 233)
ἐν δ' Ἔρις, ἐν δ' Ἀλκή, ἐν δὲ κρυόεσσα Ἰωκή (*E*, 740[1]))
ἢ γάμῳ, ἢ ἐράνῳ, ἢ εἰλαπίνῃ τεθαλυίῃ (λ, 415)
οἵ τ' Ἄλον, οἵ τ' Ἀλόπην, οἵ τε Τρηχῖν' ἐνέμοντο (*B*, 682)

aut bis, ut
βλήεται, ἢ περὶ βουσὶν, ἢ ἀργεννῇς ὀΐεσσιν (ϱ, 472)
vel *χηνῶν, ἢ γεράνων, ἢ κύκνων δουλιχοδείρων* (*B*, 460)
et *ἢ ποδὸς ἢ καὶ χειρὸς, ἀποδρύψωσι δὲ πάντα* (ϱ, 480).

Ceterum in hac quarta hexametrorum gradationibus adornatorum forma quot syllabae in thesibus positae singulis arsibus addantur, minus interest; ex qua re hoc genus versuum vetustius esse elucet. Ad quam rem quadrat, quod haec forma saepissime invenitur apud Homerum, Hesiodum, alios poetas epicos veteres, eademque postea rarius occurrit. Nec non apud poetas Alexandrinae, quam dicunt, aetatis legitur; sed ei, ut erant docti, ex antiquorum poetarum libris sibi hos versus sumpserunt.

Denique haec forma, cui inest aliquid severi, saepe adhibetur in allocutionibus, sive vituperationibus sive precationibus. Exempla mox proponam, ubi de quinta gradationis forma egerim.

Postea enim mea quidem sententia ex quarta illa forma accuratius et sublimius usurpata aut una cum illa novum subnascebatur versuum genus politissimum; a quo quia non nisi molestiore diligentia adhibita discerni potest forma quarta, equidem in chartis insequentibus de quarto una et de quinto genere disseram paulo restrictius.

Nam quinta forma ex quarta aut una cum quarta mihi videtur orta esse ea ratione, ut primae incisioni

---

1) Haec tria nomina non per litteras minusculas incipienda sunt, sed per maiusculas id quod versu insequenti (*Γοργειη κεφαλη*) confirmatur.

primum quidem instabili certa *in fine pedis primi* sedes daretur, (ita ut fieret

aut – ⏑⏑ | – ⏑⏑ – ⏑ | ⏑ – ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏓
aut – ⏑⏑ | – ⏑⏑ – | ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏓)

simul in fine quarti quoque pedis caesura, scilicet ea quam vocant *bucolicam*, adiceretur; quo efficiebatur, ut versus divideretur in quattuor partes, quarum prima unum, duos secunda, tertium unum, duos quarta ictus haberet hunc in modum

–́ ⏑⏑ | –́ ⏑⏑ –́ ⏑ | ⏑ –́ ⏑⏑ | –́ ⏑⏑ –́ ⏓

aut si instructi sunt hexametri semiquinaria, qui versus saepe inveniuntur in Theocriti carminibus, hunc in modum

–́ ⏑⏑ | –́ ⏑⏑ –́ | ⏑⏑ –́ ⏑⏑ | –́ ⏑⏑ –́ ⏓


Utrumque autem huius quintae formae genus, alterum instructum illud semiquinaria, alterum incisione tertii pedis trochaica adornatum, pulcherrimas exhibet rationes geometricas; quas vide iam schemate descriptas

– ⏑⏑ | – ⏑⏑ – ⏑ || ⏑ – ⏑⏑ | – ⏑⏑ – ⏓
1 [+ $^3/_4$ =] 1$^3/_4$ | 1$^1/_4$ [+ $^3/_4$ =] 2 pedes
4 [+ 3 =] 7 | 5 [+ 3 =] 8 morae
– ⏑⏑ | – ⏑⏑ – || ⏑⏑ – ⏑⏑ | – ⏑⏑ – ⏓
1 [+ $^1/_2$ =] 1$^1/_2$ | 1$^1/_2$ [+ $^1/_2$ =] 2 pedes
4 [+ 2 =] 6 | 6 [+ 2 =] 8 morae.

Secunda autem talium versuum et quarta particula quia ita efficiuntur, ut et primis et tertiis partibus eidem syllabarum apponantur numeri, duplex primum quidem evadit gradatio, scilicet et inter primam ac secundam et inter tertiam ac quartam partem. Deinde siquidem in versibus semiquinaria divisis et primas cum secundis et tertias cum quartis particulis, id quod per caesuram principalem licet, singulis colis continueris, tertia orietur progressio, de qua supra obiter dixi (pg. 7/8). Quo accidit, ut tales versus, qualium exemplum habeas illum Hesiodeum

Τρίσμακαρ, | *Αἰακίδη,* || *καὶ τετράκις,* | *ὄλβιε Πηλεῦ* (frg. 81 Rzach)


circumscribere possis, siquidem talia licent in commentatione metrica, triangulo




His lineamentis explanantur illae tres, quas adumbravi, progressiones. Ad quas alias accedere elucet. Nam et inter primam ac tertiam et inter secundam ac quartam partem intercedunt gradationes novae, quae et ipsae perspiciuntur in nostro triangulo. Iam omnes istas progressiones denuo una imagine complectamur. Etenim versus caesuram tertii pedis trochaicam qui assumunt velut

χρυσοῦ τ' | *ἠλέκτρου τε* | *καὶ ἀργύρου* | *ἠδ' ἐλέφαντος* (δ,73)
–́ – | –́ – –́ ⏑ | ⏑ –́ ⏑ ⏑ | –́ ⏑ ⏑ –́ ⏑

sic se habent:



in hexametris vero caesura semiquinaria affectis gradatio quinta accedit



Ex hac quoque computatione atque figuris intellegimus, cur semiquinaria, initio sane rarior, paulatim praevalere coeperit, ea scilicet ratione, ut novum decus, nova gradatio adderetur his versibus quadripertitis.

Hic quidem fortasse obicies, quod ego in rebus metricis oculis nimis tribuam. Oculis autem hac in re non utor nisi adiutorio aurium; oculisque tuis pingam oportet, quae auribus tuis canere non licet.

Ne autem in illis omnibus Aethiopem lavare videar, iam apponere liceat talium quales indicavi versuum exempla ex Homero sumpta. Iam ex praeclarissima Andromachae oratione (*Z*, 407 sqq.) subiciantur versus, qui in nostram formam ineunt quadrimembrem gradationesque prae se ferentem nitidissimas. Adicere autem liceat in Homero illos hexametros nonnumquam quasi rudiores adhuc et minus politos legi, id quod et ipsum optime quadrat in ea quae protuli:

(v. 408) *παῖδά τε | νηπίαχον | καὶ ἔμ' ἄμμορον, | ἣ ταχα χήρη*
(v. 412) *ἔσται | θαλπωρή, | ἐπεὶ ἂν σύγε | πότμον ἐπίσπῃς*
(v. 414) *ἤτοι | γὰρ πάτερ' ἀμὸν | ἀπέκτανε | δῖος Ἀχιλλεύς*
(v. 416) *Θήβην | ὑψίπυλον· | κατὰ δ' ἔκτανεν | Ἠετίωνα*
(v. 418) *ἀλλ' ἄρα | μιν*[1]) *κατέκηε | σὺν ἔντεσι | δαιδαλέοισιν*

1) *μιν* hic non est encliticon, sed procliticon.

(v. 422) οἱ μὲν | πάντες ἰῷ | κίον ἤματι | Ἄϊδος εἴσω
(v. 423) πάντας | γὰρ κατέπεφνε | ποδάρκης | δῖος Ἀχιλλεὺς
(v. 425) μητέρα δ', | ἣ βασίλευεν | ὑπὸ Πλάκῳ | ὑλήεσσῃ
(v. 428) πατρὸς δ' | ἐν μεγάροισι | βάλ' Ἄρτεμις | ἰοχέαιρα
(v. 431) ἀλλ' ἄγε, | νῦν ἐλέαιρε, | καὶ αὐτοῦ | μίμν' ἐπὶ πύργῳ
(v. 434) ἄμβατος | ἐστὶ[1]) πόλις | καὶ ἐπίδρομον | ἔπλετο τεῖχος

Ergo ex triginta tribus hexametris undecim nobis inierunt in formam illam quadriiugam. Ad quos versus pauca adiciam. Nam quam pulchre in versu 422 poeta complexus est uno colo πάντες ἰῷ, ita ut sit «omnes uno interiere die»[2]). Ceterum in versibus 425 et 428 haud dubitanter abripui a substantivis adiectiva. Etenim vertatur oportet nec «am Fuße der waldigen Plakos» nec «die pfeilsendende Artemis» sed «Plakos, der waldigen» et «Artemis, die pfeilsendende». Non aliter se habent v. 408 παῖδά τε | νηπίαχον et v. 416 Θήβην | ὑψίπυλον.

Sic viis munitis tutissimi procedemus longius. Nam sicut a me modo allata sunt specimina versuum Homericorum, ita nunc Theocritum inspiciamus, ut quam saepe apud illum versus illi occurrant, intellegatur. Ergo ex primi idyllii initio adscribam versus quadripertitos

v. 1 Ἁδύ τι | τὸ ψιθύρισμα | καὶ ἁ πίτυς, | αἰπόλε, τήνα
(de v. 2 infra)
v. 4 αἴκα | τῆνος ἕλῃ | κεραὸν τράγον, | αἶγα τὺ λαψῇ
v. 5 αἴκα δ' | αἶγα λάβῃ | τῆνος γέρας, | ἐς τὲ καταρρεῖ
v. 7 ἅδιον, | ὦ ποιμήν, | τὸ τεὸν μέλος, | ἢ τὸ καταχές
(de v. 8 infra)
v. 9 αἴκα | ταὶ Μοῖσαι | τὰν οἴιδα | δῶρον ἄγωνται

1) ἐστι quamquam non est nisi copula quae dicitur, tamen hic non est encliticon, sed accentus vim in se habet non aliter atque ἔπλετο.

2) cf. Pind. Ol. IX, 106: μία δ' οὐχ ἅπαντας ἄμμε θρέψει μελέτα.

v. 10 *ἄρνα τὺ | σακίταν | λαψῇ γέρας· | αἰ δέ κ' ἀρέσκῃ*
v. 11 *τήναις | ἄρνα λαβεῖν, | τὺ δὲ τὰν ὄιν | ὕστερον ἀξῇ*
(de v. 12 infra)
v. 15 *οὐ θέμις, | ὦ ποιμήν, | τὸ μεσαμβρινὸν, | οὐ θέμις ἄμιν*
v. 17 *τανίκα | κεκμακὼς | ἀμπαύεται· | ἔστι δὲ πικρός.*

Ecce nobis ex septendecim versibus novem inierunt in hanc formam subtiliter quadripertitam. In quibus versibus scandendis equidem nec unquam seiunxi coniungenda nec omnino incisionem statui nisi ubi «vox recitantis» ut iterum Dindorfianis utar verbis «paullulum subsistere posset». Atqui vel liberius agere ibi non vetitum, ubi non una incisione, sed inductis tribus tertia tantum pars soni accentusque in earum una quaque ponitur. Nam quod certant grammatici, utrum sensui in caesuris constituendis multum sit tribuendum necne: id ego ita diiudicaverim, ut sensui, ubicumque una tantum exstat caesura, multa, ubicumque complures agnoscuntur incisiones, minus arbitror apponendum esse. Ergo, siquidem complures caesuras animadverterimus, nobis licebit, quod illicitum est in una incisione. Quapropter equidem non dubitaverim versus Theocritei illius idyllii secundum, octavum, duodecimum, alios eiusmodi huic formae quadrimembri vindicare:

ἁ ποτὶ | ταῖς παγαῖσι | μελίσδεται, | ἁδὺ δὲ καὶ τύ
τῆν' ἀπὸ | τᾶς πέτρας | καταλείβεται | ὑψόθεν ὕδωρ
λῇς ποτὶ | τᾶν Νυμφᾶν, | λῇς αἰπόλε | τῇδε καθίξας.

Quin etiam sic quoque multo cautiorem me praebui quam Pelckmannus, qui metitur *ὁ | πηλός*. Nam si nomini articulum habenti praepositio praeponitur, arctior fit iunctura inter nomen et articulum quam inter articulum et praepositionem[1]); quod recte iudicatum esse intelleges, si *ποτι ταις | παγαισι* a me divisum esse finxeris. Quae si vera sunt, iam ex septendecim, quos laudavi Theocriti versibus, duodecim abeunt

1) Omnino praepositiones cum substantivo suo levibus tantum vinculis coniunctas esse elucet vel ex versu Theocriteo *Ἔν ποκ' ἄρα Σπάρτᾳ* (XVIII, 1).

tales, quales in hac opella tractantur quinto loco. Quia autem tam crebri occurrunt illi crebrioresque quam in Homero: vel inde hos versus non casu factos esse censebimus, id quod postea ex multis indiciis colligemus aliis.

Sunt autem hi versus in primo idyllio Theocriteo crebriores quam in reliquis. Atque omnino in eius carminibus bucolicis crebriores inveniuntur quam in mimicis, in mimicis quam in eiusdem epicis. Primum igitur idyllium, ut poetae ipsi, qui id in libelli limine collocavit, aut fallor aut pulcherrimum esse videbatur, ita, si versuum illorum quadrimembrium numerum respicis, pastorali cantilenae accommodatissimum est.

Hic afferre liceat alia, quibus sententia mea explanetur. Nam saepe verbis quoque iteratis anaphorisque versus quadrimembres esse indicatur. Exempla afferam. Etenim sunt verba iterata in prima atque secunda parte

ἢ κεμάδ' ἠὲ λαγωὸν ἐπείγετον ἐμμενὲς αἰεὶ (*K*, 361)
ἠὲ μέν', ἠὲ σὲ δουρὶ κιχήσομαι· οὐδέ σέ φημι (*K*, 370)
οὐκ ἴδον οὐ πυθόμην ἀλλὰ στόνον οἶον ἄκουσα (ψ, 40)
οὐ κακὸν οὐδὲ μὲν ἐσθλόν, ὅτίς σφεας εἰσαφίκοιτο (ψ, 66),

in prima, secunda, tertia parte saepius, velut

ἢ πὺξ ἠὲ πάλῃ ἢ καὶ ποσίν, οὔτι μεγαίρω (ϑ, 206),

in prima secunda quarta parte

ἢ σῦς ἠὲ λύκους ποιήσεται ἠὲ λέοντας (κ, 433)
ἐν δ' Ἔρις ἐν δὲ Κυδοιμὸς ὁμίλεον ἐν δ' ὀλοὴ Κὴρ (*Σ*, 535)
ἔνϑ' ὄις, ἔνϑ' αἶγες διδυματόκοι, ἔνϑα μέλισσα (Theocr. VIII, 45);

in secunda atque tertia parte

ἢν δέ τις ἢ στοναχῆς ἠὲ κτύπου ἔνδον ἀκούσῃ (φ, 383),

in secunda atque quarta parte perquam saepe, velut

πληθὺν δ' οὐκ ἂν ἐγὼ μυθήσομαι οὐδ' ὀνομήνω (*B*, 488)
οἷόν κ' ἠὲ φέροιεν Ἀχαιοὶ ἢ κεν ἄγοιεν (*E*, 484)
τούτῳ δ' οὔτ' ἄρ νῦν φρένες ἔμπεδοι οὔτ' ἄρ' ὀπίσσω (*Z*, 352)
ἐλθόντ' ἢ Τρώεσσιν ἀρηγέμεν ἢ Δαναοῖσιν (*Θ*, 11);

in secunda, tertia, quarta parte

ἀνδράσιν, οὔτε φυὴν οὔτ' ἄρ φρένας οὔτ' ἀγορητύν (*ϑ*, 168),

in quattuor autem partibus

οὐ δέμας, οὐδὲ φυήν, οὔτ' ἄρ φρένας, οὔτε τι ἔργα (*A*, 115)

οὐ φυτόν, οὐ συκέη, οὐκ ἄμπελος, οὐ μὲν ἐλαίη (*ω*, 246)

εἷς Ζεύς, εἷς Ἀίδης, εἷς Ἥλιος, εἷς Διόνυσος (Orph. frgm. 7 Abel)

Accedit quod persaepe verba sic distribuuntur et collocantur, ut versus quadriiugos esse appareat ex eo, quod partes enuntiati inter se tamquam geometrica ratione correspondent. Exempla habeas

χρύσεα | χαλκείων, | ἑκατόμβοι' | ἐννεαβοίων (*Z*, 236)

ταύτην δ' | οὔτ' ἔπεϊ | προτιβάλλεαι | οὔτε τι ἔργῳ (*E*, 879)

(ad cuius hexametri exemplar factus est versus hymn. in Cer. 199

οὐδέ τιν' οὔτ' ἔπεϊ προσπτύσσετο οὔτε τι ἔργῳ)

ταύρους | παμμέλανας | ἐνοσίχθονι | κυανοχαίτῃ (*γ*, 6)

κείνων, | οἵ τ' ἐσάωθεν | Ἀχαιῶν, | οἵ τ' ἀπόλοντο (*γ*, 185)

νήπιος, | οὔτε πόνων | εὖ εἰδὼς | οὔτ' ἀγοράων (*δ*, 818).

Talium versuum, quales vel verborum ordine formam illam induunt quadripertitam, alia exempla adscribo

A, 27. 128. 138. 151. 586 (ex quo incerti fragm., videas Corp. poes. ep. Gr. lud., I pg. 97). *B*, 113 = 288. *Γ*, 82. 127. 397. 409. *Δ*, 197. 285. 346. 416. *E*, 192. 383. 454. 709. 860.

Semel syllabarum homoeoteleuto quattuor partes hexametri distinguuntur:

φράζεο, | Τυδείδη, | καὶ χάζεο, | μηδὲ θεοῖσιν (*E*, 440)

Versus hunc in modum confecti saepissime inveniuntur in Homero, multo rariores in Hesiodo. Tamen supra laudatus est Hesiodi versus talis

Τρίσμακαρ, | Αἰακίδη, | καὶ τετράκις, | ὄλβιε Πηλεῦ

cum quo versu comparandus est Homericus ille non quadripertitus

τρισμάκαρες Δαναοὶ καὶ τετράκις, οἳ τότ' ὄλοντο (ε, 306).

In Theocrito autem, cuius studia Homerica nota sunt, ut in Homero saepe invenies hexametros tales artificiosius quadripertitos. Huius quoque poetae exempla habeas

ὄλβιοι | εὐνάζοισθε | καὶ ὄλβιοι | ἀῶ ἴδοιτε (XXIV, 9)
χαίρων | υἱωνῶν | περιώσιον | υἱωνοῖσιν (XVII, 23)
μυρίαι | οὔτε φυῆς | ἐπιδευέες | οὔτε νόοιο (XXII, 160)
Νικία, | οὔτ' ἔγχριστον, | ἐμὶν δοκεῖ, | οὔτ' ἐπίπαστον (XI, 2).

Chiasmo quem dicunt saepe adornati sunt versus tales; huius quoque rei exemplum affero

μόσχω | γαυροτέρα, | φιαρωτέρα | ὄμφακος ὠμᾶς (Theocr. XI, 21).

Callimachus vero, ut qui oderit amplitudinem Homerici operis, versus illos Homericos nihil imitatus est. Nam omnino versus quadrimembres in eius carminibus vix invenies, nedum hos versus artificiosiores.

Iam vero his quadripertitis quoque versibus maior inest vis quam aliis hexametris feriuntque audientium aures dulcissime. Qua re fit, ut illi non aliter ac versus tripertiti haud raro adhibeantur ubi est allocutio, seu vituperatio seu precatio. Exempla apponam (apponam autem hic quidem et quartae et quintae formae hexametros promiscue) allocutionis:

χαίρετε, | κήρυκες, | Διὸς ἄγγελοι | ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν (*Α*, 334)
ὦ φίλοι, | Ἀργείων | ἡγήτορες | ἠδὲ μέδοντες (*Β*, 79)

ὦ πόποι, | αἰγιόχοιο | Διὸς τέκος, | Ἀτρυτώνη (*B*, 157) *A*, 202. *H*, 234. *Θ*, 399. *I*, 607. *Ξ*, 194. hymn. in Merc. 436. 514,

vituperationis:

εὕδεις, | Ἀτρέος υἱὲ | δαΐφρονος | ἱπποδάμοιο; (*B*, 23)

Δύσπαρι, | εἶδος ἄριστε, | γυναιμανές, | ἠπεροπευτά (*Γ*, 39 = *N*, 769; cf. Alcmanis versum (frgm. 40, Bergk)

Δύσπαρις, | αἰνόπαρις, | κακὸν Ἑλλάδι | βωτιανείρᾳ)

αἰδώς, | Ἀργεῖοι, | κάκ' ἐλέγχεα, | εἶδος ἀγητοί (*E*, 787; cf. Hes. Theog. 26:

ποιμένες | ἄγραυλοι, | κάκ' ἐλέγχεα, | γαστέρες οἶον) *A*, 158. 173. *B*, 337. *Δ*, 370. *H*, 455. *Θ*, 152, 185. 201. hymn. in Merc. 282. — cf. *φ*, 28.

precationis:

κλῦθί μευ, | Ἀργυρότοξ' | ὃς Χρύσην | ἀμφιβέβηκας (*A*, 37)

Ζεῦ πάτερ, | εἴ ποτε δή σε | μετ' ἀθανάτοισιν ὄνησα (*A*, 503)

Ἄρτεμι, | πότνα θεά, | θύγατερ Διός, | αἴθε μοὶ ἤδη (*υ*, 61)

Ζεῦ πάτερ | ἠδ' ἄλλοι | μάκαρες θεοὶ | αἰὲν ἐόντες (*μ*, 371).

Iam in libro *K* Iliadis Ulixes et Diomedes ex Graecorum castris profecti Minervam invocant; uterque autem orationem incipit ab hexametro quadripertito, videlicet Ulixes a versu

κλῦθί μευ, | αἰγιόχοιο | Διὸς τέκος, | ἥ τε μοὶ αἰεὶ (278)

Diomedes autem a versu

κέκλυθι | νῦν καὶ ἐμεῖο, | Διὸς τέκος, | Ἀτρυτώνη (284).

Deinde Theognis in carmine ineunte tria numina implorans in implorando ter initium capit ab hexametris quadripertitis; scilicet in Apolline invocando a versu

ὦ ἄνα, | Λητοῦς υἱέ, | Διὸς τέκος, | οὔποτε σεῖο (1)

in Diana a versu

Ἄρτεμι | θηροφόνη, | θύγατερ Διός, | ἣν Ἀγαμέμνων (11)

in Musis Gratiisque a versu

Μοῦσαι | καὶ Χάριτες, | κοῦραι Διός, | αἵ ποτε Κάδμου (15).

Nonne his omnibus versibus in caesuris re vera pausam inesse demonstratur? Nam dicat mihi aliquis quo pacto fecerint poetae tales versus artificiosos nisi eorum pulchritudines auribus percipiebantur?

Tum, quod vidimus in vituperationibus saepe inveniri hexametros gradationibus instructos: vel inde elucet versum

οἰνοβαρές, κυνὸς ὄμματ᾽ ἔχων κραδίην δ᾽ ἐλάφοιο

aliosque eius formae et ipsos secundum gradationis legem esse legendos

– ◡ ◡ – | ◡ ◡ – ◡ ◡ – | ◡ ◡ – ◡ ◡ – ⏓

non, uti volunt Masqueraius alii

– ◡ ◡ – ◡ ◡ – ◡ | ◡ – ◡ ◡ – ◡ ◡ – ◡

Aliud addere placet. Quia enim, id quod supra diximus, versus huius generis aures magis feriunt, ea re efficitur, ut etiam versus intercalares plerumque facti sint ad normam eandem sive tripertiti sive quadripertiti. Exempla habeas Theocritea

ἄρχετε βουκολικᾶς Μοῖσαι φίλαι ἄρχετ᾽ ἀοιδᾶς

ἶυγξ ἕλκε τὺ τῆνον ἐμὸν ποτὶ δῶμα τὸν ἄνδρα

φράζεο μευ[1]) *τὸν ἔρωθ᾽ ὅθεν ἵκετο πότνα Σελάνα*

Moscheum

ἄρχετε Σικελικαὶ τῶ πένθεος ἄρχετε Μοῖσαι

Catulliana

Hymen o Hymenaee Hymen ades o Hymenaee

currite ducentes subtemina currite fusi

---

1) Nec enim, quia est «amorem meum», scripserim *φράζεό μευ*. Nam *μευ* vox hic quidem non est encliticon, sed procliticon. Aliter si interpunxeris, metrum et hic et multis aliis locis evertes.

Huc pertinere videntur et reliqui versus intercalares apud Theocritum obvii

ἄρχετε βουκολικᾶς Μοῖσαι πάλιν ἄρχετ' ἀοιδᾶς
λήγετε βουκολικᾶς Μοῖσαι ἴτε λήγετ' ἀοιδᾶς

cf. versum Vergilianum:

desine, | *Maenalios,* | *iam desine,* | *tibia, versus* (ecl. VIII, 61)

Hic autem non absonum mihi videtur esse, paucis complecti historiam versuum illorum et tripertitorum, quos quartae gradationis formae, et quadripertitorum, quos quintae formae tribuimus. Versus tripertitos saepe exstare docuimus tam in Homero quam in Hesiodo; unde poetae epici posteriores (nam Panyassis hexametrum laudavi) hauserunt. Quin etiam in Theocriti carminibus quamvis rariores inveniri eos vidimus (nisi quod saepe utrum quattuor an tres partes sind statuendae certe diiudicari nequit, velut in versu intercalari

Ἴυγξ ἕλκε τὺ τῆνον ἐμὸν ποτὶ δῶμα τὸν ἄνδρα).

Theocritum autem versus illos tripertitos, qui sunt antiquissimi, ex Homeri caena accepisse intellegimus vel ex versibus Theocriteis

ὡς ἴδεν, ὡς ἐμάνη, ὡς ἐς βαθὺν ἅλατ' ἔρωτα (III, 42)
χὡς ἴδον, ὡς ἐμάνην, ὥς μοι περὶ θυμὸς ἰάφθη (II, 82)

qui ad exemplar versus Homerici

ὡς δ' ἴδεν, ὡς μιν ἔρως πυκινὰς φρένας ἀμφεκάλυψεν (Ξ, 294)

sunt facti, non aliter ac Vergilius versum ecl. VIII. 41

ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error

(cf. R. Wöbbeking De anaphorae apud poetas Latinos usu, diss. Marp. 1910, pg. 55 sq) ad exemplar hexametri illius Theocritei II, 82 vel III, 42 fecit. Atque ut Theocritus sic Apollonius Rhodius quoque, qui et ipse in studia incubuit Homerica, interdum versus tripertitos panxit (exemplum affero

ἄστρα σεληναίη τε καὶ ἠελίοιο κέλευθοι I, 500);

cum contra Callimachus ut Homericae artis adversarius fere numquam habeat. Omnino autem hi versus, quo recentiora sunt tempora eo rariores occurrunt, quia quadripertiti in eorum locum succedebant. Tamen in carminibus, quibus inerat aliquid gravitatis, severitatis, maiestatis inveniuntur recentioribus quoque temporibus. Exempla adscribo versum Empedocleum

θάμνος τ' | οἰωνός τε | καὶ ἔξαλος ἔλλοπος ἰχθύς frgm. 117 D

Orphicum

θῆρές τ' | οἰωνοί τε | βροτῶν τ' ἀλιτήρια φῦλα frgm. 76 Abel

oraculum, quod legitur apud Herodotum *Α*, 55, v. 3:

φεύγειν, | μηδὲ μένειν, | μηδ' αἰδεῖσθαι κακὸς εἶναι.

Apud Romanos omnino perrari sunt hi versus tres partes habentes, nisi ubi aut e lingua Graeca verterunt poetae Romani (ut Vergilii hexameter

Glauco et Panopeae et Inoo Melicertae, Georg. I, 437

Gellio N. A. XIII, 26 testante versus est ex Parthenii

Γλαύκῳ καὶ Νηρῆι καὶ εἰναλίῳ Μελικέρτῃ) —

aut poetae Romani, ut Graecarum litterarum periti, Graecos rhythmos memoria tenebant, ut est in Ennio

***O** pater, **o** genitor, **o** sanguen dis oriundum!* (Annal. I, 52 Postgate)

vel in Ovidio

***Sunt** fora, **sunt** leges, **sunt** quos tuearis amici* (Rem. 151. cf. Wöbbeking, l. l. pg. 64)

vel in Petronio

***Qua** mare, **qua** terrae, **qua** sidus currit utrumque* (Sat. 119, v. 2 Büch.)

vel in Martiale

***Et** teges **et** cimex **et** nudi sponda grabati* (XI, 56, 5)

Sed talia apud Romanos perrara. Nam formam illam tripertitam a Romanorum arte metrica abhorrere postea videbimus.

Similiter res acta in versibus quadripertitis; quamquam illi post Homerum minus evanuerunt quam triiugi illi. Homerus saepe fecit hexametros quadrimembres eosque, id quod supra vidimus, multis instruxit ornamentis; qui versus ornamentaque eorum minus ab Hesiodo, ut qui omnino minus sit artificiosus, quam a reliquis poetis epicis sunt accepti, exemplum habeas Epimenidis hexametrum

Μοῖραί τ' | *ἀθάνατοι* | *καὶ Ἐρινύες* | *αἰολόδωροι* (Kinkel, epic. gr. frgm. pg. 235).

Maxime autem postea culti sunt illi hexametri eorumque ornamenta a Theocrito; nam versus illi quadripertiti et vim et dulcedinem habentes optime quadrabant in Theocriti dulces Camenas. At a Callimacho tales quoque versus fere nusquam adhibentur. Inveniuntur autem in carminibus posteriorum nonnullis ad Theocriti exemplar factis. Etenim Moschus in re metrica quoque Theocriti vestigia pressit. Bio contra, et ipse poeta bucolicus, longe aliter hexametros pauxit. Nam ille unam collocat fere semper in medio versu pausam, ita ut hexametri dividantur paene omnes in partes binas ternis nimirum ictibus percussas. Ergo versus Bionei aut ita incedunt

– ◡◡ – ◡◡ – ◡ | ◡ – ◡◡ – ◡◡ – ⏓

aut, qui sunt rariores

– ◡◡ – ◡◡ – | ◡◡ – ◡◡ – ◡◡ – ⏓

Quapropter Wilamowitzius in Adonidis epitaphii versione Germanica (Bion von Smyrna Adonis, a. 1900) versus breviores adhibuit ictibus modo quaternis modo ternis adornatos. In Anthologia autem Palatina exstant nonnulla post Theocritum sane condita poematia, quibus non modo eadem tractata sunt atque a Theocrito, sed etiam quamvis minus nitide eisdem formis ac versibus. Quorum exemplum vide adscriptum

α. Χαίρω | τὸν λακέρυζον | ὁρῶν θεὸν | εἰς τὸ φάλανθον
βρέγμ' ὑπὸ τᾶν ὀχνᾶν, αἰπόλε, τυπτόμενον
β. Αἰπόλε, | τοῦτον ἐγὼ | τρὶς ἐπύγισα, | τοὶ δὲ τραγίσκοι
εἰς ἐμὲ δερκόμενοι τὰς χιμάρας ἐβάτευν
γ. Ὄντως σ', | Ἑρμαφρόδιτε, | πεπύγικεν; | α. Οὐ μὰ τὸν Ἑρμᾶν
αἰπόλε. β. Ναὶ τὸν Πᾶν', αἰπόλε, κἀπιγελῶν (IX, 317).

Nec non in epigrammata sexti libri 78, quod et ipsum ad bucolicorum exemplar factum est, deprehenditur versus

ὦ Πάν, | δέχνυσο δῶρα | τὰ Δάφνιδος· | ἶσα γὰρ αὐτῷ.

Quin etiam ordinem illum verborum iteratorum, quem ex Homero haustum a Theocrito cultum esse diximus, in Anthologia illa invenimus

ἤθελες, | ὦ Ζήνων, | καλὸν ἤθελες, | ἄνδρα τύραννον
(VII, 129).

Theocritum fortasse et Musaeus secutus est, cum scripsit

ὄλβιος, | ὅς σ' ἐφύτευσε, | καὶ ὀλβίη, | ἣ τέκε μήτηρ
(v. 138);

nam conferas versum Theocriteum

ὀλβία | ὅσσα ἴσατι | πανολβία | ὡς γλυκυφωνεῖ (XV, 146)
vel ὄλβιοι | εὐνάζοισθε | καὶ ὄλβιοι | ἀῶ ἴδοιτε (XXIV, 9).

Ceterum his postremis temporibus versus tales fere numquam inveniuntur; nam tunc valebat Nonnus, qui non Homerum Theocritumve sequebatur sed Callimachum, magisque parva et singula diligenter colebat, quam totum versum auribus dulcem reddebat. Iam apud Romanos vix umquam incidimus in tales versus quadripertitos. Nam ne Vergilius quidem, qui imitatus est Theocriti carmina, bucolicos hexametros Theocriteos est imitatus. Ceterum aliquando admisit ille quoque, quasi ex Theocriti loquens persona:

heu heu!
quid volui
misero mihi?
floribus Austrum
perditus
et liquidis
immisi
fontibus apros. (ecl. II, 58 sq.)

nec non

desine, | Maenalios, | iam desine, | tibia, versus (ecl. VIII, 61)

et *dicite, | Pierides; | non omnia | possumus omnes* (ecl. VIII, 63)

atque similia (supra pg. 22). Apud omnes autem Romanorum poetas, quicumque in versibus componendis summam operam impenderint, ut apud Vergilium in Georgicis et Aeneide, apud Tibullum, Ovidium, Claudianum, vix invenies hexametros hunc in modum quadripertitos. Nempe a Romanis maxime in deliciis habitos esse constat eos, qui iam inde a primo pede mutarent rhythmum dactylicum in anapaesticum, ita ut esset

– : ⏕ – : ⏕ – | ....
aut – ⏑ ⏑ – . ⏕ – | ....
aut – ⏕ – : ⏕ – | ....

Atque sic quoque cur illa gradationis forma, quam tertio loco enumeravimus, scilicet

– ⏑ ⏑ – | ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – | ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏒

apud Romanos usitata tritaque fuerit, intellegimus. Accedit vero, quod Romani etiam caesuram bucolicam plerumque evitaverunt. Quo pacto evitaverint exposuit Birtius. Etenim versus bucolica instructi non «certamen incitant inter metricum accentum et grammaticum» (l. l. pg. 8). Sicut enim illi certamen illud appetiverunt in hexametri colo priore, ita in altero quoque tripertiti hexametri colo.

Quibus transactis singula attingere licet ad hos versus pertinentia. Etenim primum quidem ab aliis viris doctis quaedam animadversa sunt, quae equidem lubens in meum usum converto et quae meis rationibus adhibitis melius intelleguntur. Nempe W. Meyerus (Zur Geschichte des griechischen und des lateinischen Hexameters, Sitzungsb. d. Münch. Akad., phil.-hist. Klasse, 1884, pg. 979 sqq.) operam navavit in legibus Alexandrina aetate observatis observandis. Quarum legum primam enumerat: «Der Trochäus und der Daktylus im 2. Fuß darf nicht durch den Schluß eines drei- oder mehrsilbigen im 1. Fuße beginnenden Wortes gebildet werden». Igitur secundum Meyeri praescripta illiciti erant versus ineuntes et – ⏑ ¦ ⏑ – ⏑ … nec non – ¦ ⏖ – ⏑ …., et – ⏑ ¦ ⏑ – ⏑ ⏑ ….. nec non – ¦ ⏖ – ⏑ ⏑ …..; liciti autem sic ineuntes – ⏖ ¦ – ⏑ …… nec non – ⏖ ¦ – ⏑ ⏑ ….. Haec rectissime disseruit Meyerus, sed legis istius rationem perspexisse non videtur. Nam dic mihi cur non admittebantur formae nisi – ⏖ ¦ – ⏑ … et – ⏑ ⏑ ¦ – ⏑ ⏑ …? Ea scilicet condicione ut fierent versus quos hic tractamus

– ⏑ ⏑ | – ⏑ (⏑ – | ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ – ⏒)
aut – ⏑ ⏑ | – ⏑ (⏑ – ⏑ | ⏑ – ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ – ⏒)
item – ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ (– | ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ – ⏒)
aut – ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ (– ⏑ | ⏑ – ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ – ⏒)

Insuper audias legem tertio loco a Meyero collocatam (ibidem): «Wenn die dritte Hebung Wortschluß und männliche Cäsur bildet, so darf nicht auch die fünfte Hebung Wortschluß sein». Ergo vitabatur

(– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ –) | ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – | ⏑ ⏑ – ⏒

«Demnach haben» ut ait Meyerus «die alexandrinischen Dichter und ihre Nachfolger die männliche Cäsur im 3. Fuß des Hexameters regelmäßig entweder mit der männlichen Cäsur im 4. Fuß oder mit der bukolischen nach dem 4. Fuß verbunden». Itaque gratum habebatur

(– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ –) | ⏑ ⏑ – | ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏒
aut (– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ –) | ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ – ⏒

Ceterum causuram bucolicam multo tritiorem fuisse quam illam post quarti pedis arsin positam luce clarius est. Meyerus igitur hic quoque computationis nostrae particulam confirmavit.

At idem Meyerus, item Suhleus (Über die Cäsur . . . ., 2. Aufl., Berlin 1866, pg. 23/24) alii caesuras putant tales secundarias stabilitas esse, quia aliter versuum partes longiores fuerint, quam quae uno vocis impetu pronuntiari possent. Sicine putemus? Immo mihi Graeci non videntur tantopere latera fracti anhelive fuisse, quin quattuordecim moras iunctim efferrent. Nam recorderis sis *πνιγῶν* quae occurrunt in Aristophanis fabulis. Quod autem versus dividuntur compluribus caesuris, ex ratione profluit longe alia. Praeterea omnino a nostris hominibus metricis versus Theocriti prave confunduntur cum Callimachi, qui utebatur arte metrica Theocriteae dissimili.

Sed nondum ad finem proveni et attexam nonnulla de sententiis Tiedkei. Qui de Nonno, ut solebat, agens ab illo poeta contendit (Hermes XIII, pg. 59 sqq. et alibi) ante semiquinariam non positam esse vocem bisyllabam iambique vices obtinentem nisi ubi antecedentibus aut voce bisyllaba trochaicae formae aut vocabulis breviusculis duobus fieret quasi choriambus. Itaque apud Nonnum saepe occurrit Tiedkeo auctore

(– ⏑ ⏑) ⁝ – ⏑ ⁝ ⏑ – | (⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏓)
(– ⏑ ⏑) ⁝ – ⁝ ⏑ ⁝ ⏑ – | (⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏓)

Videsne ex illis quoque Tiedkei computationibus argumenta auxilia adiutoria mihi exsistere eximia? Quamquam enim non nescio a Nonno, ut a poeta recentissimae aetatis, redactos non iam esse versus in formam illam quadruplicem, tamen choriambos eum autumo collocasse ante caesuram, sic

(– ⏑ ⏑) ¦ – ⏑ ⏑ – | (⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏓)

memorem illum huius bucolicorum imprimis formae quae est:

– ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ – | ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ – ⏓

Nec non pertinet ad rem, quod nescio a quo primo animadversum est in Nonni carminibus ultimas hexametrorum syllabas plerumque inveniri longas. Hoc quoque nobis adiutorium. Etenim si in versibus incisione tertii pedis trochaica instructis ultima syllaba exstat longa, scilicet si est

– ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ – ⏑ | ⏑ – ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ – –

in talibus inquam versibus progressio, quae intercedit saepe inter hexametri particulas secundam et quartam, auribus melius percipitur quam in versibus redactis in hanc formam

– ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ – ⏑ | ⏑ – ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ – ⏑

Nec vero eam versuum texendorum rationem inventam esse putaverim a Nonno; qui ipse non iam favebat hexametris quadrimembribus. Accepit autem illam rationem vel illius rationis fundamenta ex manibus eorum, qui ante eum aetate Alexandrina tales versus artificiosissimos tornabant.

Deinde paucis dicendum est de eis quoque qui secus doceant. Nam a Theocrito bucolicisque poetis aliis putant versus factos esse hunc tantum in modum

– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ – ⏓

ita ut *caesurae*, quae est *post quartum pedem*, soli omne pausae pondus attribuatur versusque evadant bipertiti divisi nimirum in quaternos et binos dactylos. Haec sententia vix potest manere[1]; certe versus bucolicos intellegere cupienti in illa consistendum non est. Quid vero eis, qui in hexametris bucolicorum bipertitis morentur, velut Westphalio, ansam dabat ad talia contendenda? Scilicet quod saepenumero eadem vox in versu ineunte ponitur et post caesuram bucolicam:

ἄρχετε βουκολικᾶς, Μοῖσαι φίλαι, ἄρχετ᾽ ἀοιδᾶς.

---

1) Conferas quae monuit Birtius (Kritik und Hermeneutik, 1913, pg. 377 addit. ad pg. 77).

Exile hercle argumentandi filum. Nam vocabula nonne post semiquinariam quoque iterantur? Cuius rei, ut in primo Theocriti idyllio verser uno, excutio exempla

(v. 12) λῇς ποτὶ τᾶν Νυμφᾶν, λῇς αἰπόλε τῆδε καθίξας
(v. 69) οὐδ' Αἴτνας σκοπιάν, οὐδ' Ἄκιδος ἱερὸν ὕδωρ
(v. 71) τῆνον μὰν θῶες, τῆνον λύκοι ὠρύσαντο
(v. 78) τίς τυ κατατρύχει; τίνος ὠγαθὲ τόσσον ἔρασαι;
(v. 83) πάσας ἀνὰ κρήνας πάντ' ἄλσεα ποσσὶ φορεῖται
(v. 101) Κύπρι νεμεσσατά, Κύπρι θνατοῖσιν ἀπεχθής
(v. 110) καὶ πτῶκας βάλλει καὶ θηρία πάντα διώκει.

Vel inde caesuram bucolicam nequaquam esse primariam intellegitur. Atque fac eam in carminibus bucolicis primariam esse: et sic manebit ratio qua usi contendimus incisionem post primum pedem positam aut vetustiorem esse quam bucolicam aut certe natam esse una cum illa; ita tamen ut ista post primum pedem posita caesura postea magis delituerit et evanuerit. Nihilo minus etiam post primum pedem repetuntur quandoque vocabula; cuius rei (de qua iam supra actum est) hic appono exempla Theocritea

ὦ λύκοι, ὦ θῶες, ὦ ἀν' ὤρεα φωλάδες ἄρκτοι (I, 115)
ὡς ἴδεν, ὡς ἐμάνη ὡς ἐς βαθὺν ἅλατ' ἔρωτα (III, 42)

Aliud quoque refellam. Etenim ei, qui bucolicorum versus autumant bipertitos esse, illam bipertiendi formam arbitrantur petitam esse e canticis pastorum Siculorum. Nam Reinholdus Steig (De Theocriti idylliorum compositione, diss. Berl. 1882, pg. 4) a scholiasta vetere perhibet versus traditos esse Syracusis olim cantitatos hos

δέξαι τὰν ἀγαθὰν τύχαν, δέξαι τὴν ὑγίειαν,
ἃν φέρομες παρὰ τᾶς θεοῦ, ἃν ἐκαλέσσατο τήνα.

Ex qua re Steigius elucere ait vocum in versibus exeuntibus repetendorum usum institutum esse a Theocrito imitante talia carmina popularia. At illa a scholiasta allata fac vera esse (sed enim allata a scholiastis non semper vera esse nemo nescit): num inde Theocritum versus suos ad

talium exemplar carminum popularium metro Priapeo conditorum texuisse sequitur? Immo texuisse ad epicorum vetustissimorum dico exemplar; nam conferas versus

π ο λ λ ὰ μὲν ἐν μεγάροισιν ἀτάσθαλα, π ο λ λ ὰ δ' ἐπ' ἀγρῷ (*χ*, 47)

(unde fortasse haustum

π ο λ λ ὰ μὲν αὐτὸς ἔρεξεν ἀτάσθαλα, πολλὰ δ' ἀνέτλη (hym. Hom. *εἰς Ἡρακλ. λεοντοθ.* v. 6))

τ ρ ὶ ς μὲν γάρ τ' ἀνίησιν ἐπ' ἤματι, τ ρ ὶ ς δ' ἀναροιβδεῖ (*μ*, 105)

ἓ ν μὲν γάρ οἱ σῖτος ἀθέσφατος, ἓ ν δέ τε οἶνος (*ν*, 244)

ἄ λ λ ο τ ε μὲν πτωχῷ ἐναλίγκιον, ἄ λ λ ο τ ε δ' αὖτε (*π*, 209)

ο ἶ σ ε θέειον, γρηῢ, κακῶν ἄκος, ο ἶ σ ε δέ μοι πῦρ (*χ*, 481)[1])

Ergo hausisse videtur Theocritus hoc versuum ornamentum ex poetis epicis, unde hausit etiam qui fecit carmen illud sepulcrale, cuius initium est

Γαῖα μὲν εἰς φάος ἦρε Σιβύρτιε, γ α ῖ α δὲ κεύθει (C. I. A. II, 3, 4135)

et Archilochus

ἐ ν δ ο ρ ὶ μέν μοι μᾶζα μεμαγμένη, ἐ ν δ ο ρ ὶ δ' οἶνος (frgm. 2 Bergk[4]).

Conferas et versum Hesiodeum

π λ ε ί η μὲν γὰρ γαῖα κακῶν, π λ ε ί η δὲ θάλασσα (o. et d. 101)

atque quod ad eius exemplar factum est fragmentum incerti poetae

π λ ή ρ η ς μὲν λαχάνων ἀγορή, π λ ή ρ η ς δὲ καὶ ἄρτων (Corp. poes. ep. gr. lud., I pg. 97, ubi

Brandtius de eius versus exemplo perperam iudicat). Hic enim iam in vocabulo iterato permutatio quoque illa accentuum; nam primum est *πλείη* nec non *πλήρης* ⏑́ –, dein – ⏑́. Quae permutatio aures dulcissime feriens posteaque poetis imprimis tragicis tritissima, etiam in

1) Hi versus in Odyssea crebriores quam in Iliade deprehenduntur.

bucolicorum hexametris saepenumero legitur; velut in Theocriti idyllio primo:

τῆνον μὰν θῶες, τῆνον λύκοι ὠρύσαντο (v. 71)
–́ –   – –́

vel *Κύπρι νεμεσσητά, Κύπρι θνατοῖσιν ἀπεχθής* (v. 101)
–́ ⏑   – –́

non aliter in Homero, velut

οὔτε θεῶν πομπῇ οὔτε θνητῶν ἀνθρώπων (ε, 32)
–́ ⏑   – –́

multisque aliis locis. Ergo et haec permutatio in iterationibus adhibita et ipse iterationis usus cum ab aliis poetis tum vero a bucolicis tractus est ex poematis epicis. Nam et quod in Iliade legitur «*Ἄρες, Ἄρες*» (–́ ⏑ ⁞ ⏑ –́), quod quidem Martialis postea arbitrarie tantum factum esse putat (ep. IX, 11, 14/15), id quoque arte et consilio factum nosmet censebimus. Afferenda autem haec censui, unde bucolicos imprimisque Theocritum in omnibus rebus ab epicis imprimisque ab Homero pependisse colligas; id quod et alios fugit et Steigium. Bucolici igitur Graeci versus versuumque ornamenta non petiverunt, uti arbitrantur, ex Siculis stabulis, sed ex aulis Ionicis. Qui enim fieri poterat, ut hexametri per multa nimirum saecula a viris illustrissimis exculti excolerentur ab incultis pastoribus?

Verum esto. Itaque ex omnibus, quae adhuc exposuimus, elucet caesurae post primum pedem positae, quam in gradationis usum receptam esse docuimus, non leve pondus tribuendum esse. Quod idem intelleges etiam inspecta tabula interpunctionum, quae in Rossbachii Westphalii libro, quo agunt de re metrica (Griechische Metrik[3] pg. 64) invenitur. Ibi enim illi una tabula oculis subiecerunt, quam saepe in quoque hexametri loco interpungeretur. Habeas exempla.

In Iliadis *A* (611 versus) interpungitur

– | ⏑ | ⏑ | – | ⏑ | ⏑ | – | ⏑ | ⏑ | – | ⏑ | ⏑ | – | ⏑ | ⏑ | – | ⏑ |
3. 11. 43. 52. 3. 1. 86. 65. 0. 28. 0. 78. 1. 1. 1. 0. 425.

In Iliadis *ω* (804 versus)

–	⏑	⏑	–	⏑	⏑	–	⏑	⏑	–	⏑	⏑	–	⏑	⏑	–	⏑
11.	18.	**61.**	49.	4.	0.	97.	101.	0.	38.	0.	129.	0.	1.	0.	0.	551.

In Odysseae *α* (444 versus)

–	⏑	⏑	–	⏑	⏑	–	⏑	⏑	–	⏑	⏑	–	⏑	⏑	–	⏑
4.	20.	**36.**	26.	4.	2.	40.	53.	0.	11.	0.	49.	0.	1.	0.	1.	306.

Caesuram igitur illam, quae est post primum pedem et quae bukolische Gegenzäsur nuncupari potest, re vera multum valuisse si tenueris, optime versus innumerabiles intelleges Homericos qui initium capiant ab hisce formulis

ὣς ἔφαθ', ...
ὣς φάτο, ...
ἀλλ' ἄγε, ...
δεῦτ' ἄγε, ...
ἀλλ' ἴθι, ...
βάσκ' ἴθι, ...
κέκλυτε, ...
κλῦθί μευ, ...
ὦ φίλοι, ...
ὢ πόποι, ...
σχέτλιοι, οἵ . . . . .
νήπιοι, οἵ . . . . .
βῆ δ' ἴμεν, ...,

Hiatus quoque post primum pedem invenitur:

αὐτοῦ, εἰς ὅκεν ἄστυ μέγα Πριάμοιο ἕλωμεν (*Β*, 332).

Simile est quod Theocritus, ubi sermonem serunt pastores, hoc versus loco haud secus atque in bucolica caesura nonnumquam alterius interlocutoris verba ad finem duci et ab altero interlocutore versum porro duci voluit. Exemplum subicio

α. Αἰσχίνᾳ.
β. ὡς χρόνιος.
α. χρόνιος · τί δέ τοι τὸ μέλημα (XIV, 2)

Eadem ratione usus est XV, 61. II, 138.

Quoniam autem bucolici poetae imprimis utebantur talibus ex Homero sane sumptis hexametris quadripertitis, in quibus hexametris et aliae partes inter sese et quartae secundaeque particulae sibi respondent, ita ut sit

– ◡◡   ◡◡ – ◡◡
– ◡◡ –   – ◡◡ – ⏓,

inde intellegitur, quo pacto a poetis Alexandrinis **hexametri spondiaci** saepissime adhibiti sint (Bickel, Einl. i. d. Altertumswissenschaft v. Gercke u. Norden, I², 1912, pg. 574). Etenim in colo secundo choriambico, scilicet in

(– ◡◡) | – ◡◡ – | (◡◡ – ◡◡ – ◡◡ – ⏓)

mediae duae syllabae breves iure fit quod in unam longam mutantur. Inde explico quod spondeus in quarto quoque hexametri colo, quippe quod secundo responderet, saepe dactyli loco positus est:

– ◡◡   ◡◡ – ◡◡
– ◡◡ –   – ◡◡ – ⏓

Quibus non repugnat, quod *στίχοι σπονδειάζοντες* usurpabantur ab eis quoque poetis Alexandrinis, qui versus illos quadrimembres plerumque evitabant, velut a Callimacho. Quod autem fere semper in versibus *σπονδειάζουσι* vox in ultimo hexametri loco posita ex quattuor syllabis constat: huius rei causa per se intellegitur. Nam evitabatur schema ..... | –́ – ¦ –́ ⏓, quia sic duo similis formae membra evadunt; evitabatur ..... | –́ – –́ | ◡, quia omnino vox monosyllaba in versu exeunte rarissime ponebatur; evitabatur ..... | –́ | – –́ ◡, quia sic paenultima arsi nimis ponderis sibi assumente versus quasi interumpitur et frangitur.

Sed plura habeo quae adnotem. Nam **vocativi** in hexametris sive quadripertitis sive tripertitis saepenumero ita sunt collocati, ut secundam versus particulam contineant. Quod rarius fit in Homero:

εὕδεις, Πηνελόπεια, φίλον τετιημένη ἦτορ; δ, 804.
μήτε σύ, Πηλείδη, ἔθελ' ἐριζέμεναι βασιλῆι Α, 277,

unde derivatum est Euboei fragmentum

μήτε σύ, Πηλείδη . . . .

vid. Corp. poes. e. gr. lud. I, pg. 52).

Saepius in hymnis Homericis. Exempla affero ex hymno qui est in Mercurium

τίπτε σύ, ποικιλομῆτα, πόθεν τόδε νυκτὸς ἐν ὥρῃ (v. 155)
θάρσει, σπαργανιῶτα, Διὸς καὶ Μαιάδος υἱέ (v. 301)
ταῦτ' ἔχε, Μαιάδος υἱέ, καὶ ἀγραύλους ἕλικας βοῦς (v. 567).

Persaepe autem in Theocrito

ἅδιον, ὦ ποιμήν, τὸ τεὸν μέλος ἢ τὸ καταχές (I, 7)
οὐ θέμις, ὦ ποιμήν, τὸ μεσαμβρινὸν οὐ θέμις ἄμμιν; (I, 15)
καὶ πῶς, ὦ κίναδός τυ, τάδ' ἔσσεται ἐξ ἴσω ἄμμιν; (V, 25)

adde IV, 1. V, 79. VI, 19. 27. X, 12. XI, 60. XII, 1. XIII, 52. XV, 13. 46. 56. 60. 65. 87. 136 (fortasse et XV, 1).

Euripides (qui hexametros quadripertitos evitat) in Andromacha

ἅς ἕνεκ', ὦ Τροία, δορὶ καὶ πυρὶ δηιάλωτον (v. 105),

Apollonius Rhodius in Argonauticis

δήεις, Αἰσονίδη · μάλα δ' ἠπίῃ ἀντιβολήσεις (III, 940)
τίπτέ με, παρθενική, τόσον ἅζεαι, οἷον ἐόντα; (III, 974)

Bio

εἴαρος, ὦ Μύρσων, ἢ χείματος ἢ φθινοπώρου (XV, 1).

Saepe in Anthologia quoque Palatina; exempla adscribo nonnulla sumpta ex libro sexto

δέξαι μ', Ἡράκλεις, Ἀρχεστράτου ἱερὸν ὅπλον (178)
φωσφόρος, ὦ σώτειρ', ἐπὶ Πόλλιδος ἕσταθι κλήρων (267)
τοῦτό σοι, Ἄρτεμι δῖα, Κλεώνυμος εἵσατ' ἄγαλμα (268)
χαῖρέ μοι, ἁβρὲ κύπασσι, τὸν Ὀμφάλη ἥ ποτε Λυδή (358)

Atque a quo versu incipit Manetho Apotelesmatica sua? Scilicet a versu

Χαίροις, ὦ Πτολεμαῖε, λαχὼν βασιληίδα τιμήν

Quem usum Romani quoque acceperunt:

Ennius

Aio te, Aeacida, Romanos vincere posse
(l. VI, frgm. 5 Vahlen)

Horatius

Qui fit, Maecenas, ut nemo, quam sibi sortem
(Serm. I, 1, 1.)

Non quia, Maecenas, Lydorum quicquid Etruscos
(Serm. I, 6, 1.)

Hoc quoque, Tiresia, praeter narrata petenti
(Serm. II, 5, 1.)

Idem Horatius in epistulis, in quibus vocativi saepius inveniuntur, hanc formam vix habet; quod inde fortasse factum, quia nominum et cognominum Latinorum vocativi choriambum vel molossum raro efficiunt.

Vergilius

Vertere, Maecenas, ulmisque adiungere vites (Georg. I, 2)

(conferas:

Te quoque, magna Pales, et te, memorande, canemus
Georg. III, 1).

Saepissime autem in Punicis Silii Italici, ex cuius libro tertio decimo excutio exempla

Non haec, Tydide, tantae pro laudis honore (v. 58)

Foedera, mortales, ne saevo rumpite ferro (v. 284)

Quis te, care pater, quo stabant Itala regna (v. 654).

Quae collocatio orta est inde, quod omnino vocativos ante caesuras in medio versu positas seu semiquinariam seu trochaicam, ut in eo hexametri loco, cui valentior sonitus inhaeret, studebant esse. Itaque facti sunt versus

Ἄνδρα μοι ἔννεπε, Μοῦσα, πολύτροπον, ὃς μάλα πολλὰ

Μῆνιν ἄειδε, θεά, Πηληιάδεω Ἀχιλῆος

vel qui versus est Thebaidis ineuntis

Ἄργος ἄειδε, θεά, πολυδίψιον, ἔνθεν ἄνακτες.

Alibi vero vocativi ei, qui propter formam suam neque ante semiquinariam neque ante trochaicam poni poterant, certe quam maxime fieri poterat collocati sunt prope illas caesuras. Exempli gratia affero hexametros

πῇ με φέρεις, Ἑκάεργε, θεῶν ζαμενέστατε πάντων;

(hymn. in Merc. 307)

et *ψεύδοντ᾽, ὦ φίλε, πάντες, ὅσοι τὰς νύκτας ἔφασκον*

(Theocr. XXI, 22).

Quibus rationibus accidit, ut apud Romanos quoque, qui plerumque evitaverunt versus illos tripertitos atque quadripertitos, tamen inveniantur versus, qui propter vocativos ante medias hexametrorum caesuras collocatos quasi tripertiti quadripertitive abeant.

Alia addenda esse videntur, quae ex rationibus illis metricis discuntur. Iam enim earum auxilio diiudicari potest interdum res dubia, ubi quomodo interpungendum sit haerent viri docti. Nam, ut exemplum afferam, Theocr. XV, 28 ubi Ahrensius Wuestemannus alii scribunt

θές · πάλιν αἱ γαλέαι μαλακῶς χρῄζοντι καθεύδειν,

Wilamowitzius autem

θὲς πάλιν · κ. τ. λ.

cum Wilamowitzio faciemus[1]).

At *Θ*, 185, ubi Hector alloquitur equos suos quattuor, ex quattuor versus particulis una datur uni cuique equo:

Ξάνθε τε | καὶ σὺ Πόδαργε | καὶ Αἴθων | Λάμπε τε δῖε

ubi si omnino interpungis, interpungendum erit non post *συ*, ut editores solent, sed post *Ξάνθε τε;* nam maior est pausa inter *τε* et *και* quam inter *συ* et *Ποδαργε*. Similia saepe aliis locis.

---

1) Caesura illa post primam arsin collocata omnino rarior exstat, quam magistri nostri metrici arbitrantur. Saepe enim fortasse agnoscendum est – ⏑ | ⏑ – . . . ., cum videatur esse – | ⏑ ⏑ – . . . .; velut *A*, 52.

In versu *Β*, 341 = *Δ*, 159

σπονδαί τ' ἄρρηκτοι καὶ δεξιαὶ ᾗς ἐπέπιθμεν

editores post *δεξιαί*, utpote ante enuntiatum relativum interpungi volunt. Perperam; nam versus est talis, ex qualium numero supra nonnullos enumeravi (pg. 18/19) velut *γ*, 6

ταύρους | παμμέλανας | ἐνοσίχθονι | κυανοχαίτῃ

Non aliter se habet et ille versus, vide enim epitheta:

sponsiones **certae** *et foedera* **fida**.

Quod autem hic primum quidem adiectivum, deinde enuntiatum relativum additum est, hoc nihil refert; quoniam vel hoc vel illud idem valent. Ita etiam in lingua Latina, si substantivo adduntur et adiectivum et enuntiatum relativum inter sese coniunguntur vocabulo «et», quo vocabulo ea tantum coniungi solent quae similia sunt inter se. Ergo hic interpungendum est

σπονδαί τ' ἄρρηκτοι, καὶ δεξιαὶ ᾗς ἐπέπιθμεν.

Ex his exemplis elucet nostrae linguae Germanicae rationes in interpungendis versibus Graecis non semper adhibendas esse; neque neglegendae sunt tales observationes, si intellegere vis, quomodo Graeci enuntiata extulerint («Satzrhythmus»).

Accedit aliud quod ex enuntiatorum atque versuum rhythmo intellegi potest. Etenim si versus comparaveris Homericos

Τρώων θ' ἱπποδάμων καὶ Ἀχαιῶν χαλκοχιτώνων (*Γ*, 127)

et *Τρῶάς θ' ἱπποδάμους καὶ ἐυκνήμιδας Ἀχαιούς* (*Δ*, 80)

Δ, 80 post *Γ*, 127 conditum esse iudicabis; nam *Γ*, 127 quasi sanis adhuc membris ingreditur, cum contra *Δ*, 80 tamquam cruribus fractis ambulet. Similiter fortasse se habent et alii versus et quos supra laudavi, versus Hesiodeus

Τρίσμακαρ, Αἰακίδη, καὶ τετράκις, ὄλβιε Πηλεῦ

et Homericus

τρισμάκαρες Δαναοὶ καὶ τετράκις, οἳ τότ' ὄλοντο (ε, 306).

Ceterum, si in carminibus versus tamquam quadrimembres vel trimembres formatos agnoveris, haud raro distributionem verborum melius intelleges. Etenim in versu Theocriteo

ὡς ὅκα τὸν Λιβύαθε ποτὶ Χρόμιν ᾆσας ἐρίσδων (I, 24)

verba transgressione valde perturbata esse viderentur, nisi esset

ὡς ὅκα | τὸν Λιβύαθε | ποτὶ Χρόμιν | ᾆσας ἐρίσδων

Sic hyperbaton quoque quod dicunt in versu *B*, 483 facile explanatur:

ἐκπρεπέ' | ἐν πολλοῖσι | καὶ ἔξοχον | ἡρώεσσιν.

Ut autem hic quasi ordinis defectum, sic alibi ipsum ordinem verborum melius intelleges ex computationibus illis metricis. Nempe nonnunquam hexametri Theocritei ita sunt instituti, ut duobus pastoribus alterna canentibus, alter versus alteri diligentissime respondeat. Habeas ex octavo idyllio sumpta verba et quae Menalcas canit et quae recinit Daphnis

ἄγκεα	*κρᾶναι*
καὶ ποταμοί,	*καὶ βοτάναι,*
θεῖον γένος,	*γλυκερὸν φυτόν,*
αἴ τι Μενάλκας	*αἴπερ ὅμοιον*
. . . .	. . . .
(v. 33)	(v. 37)

Similiter se habent duo illa epigrammata, quorum alterum est in Sardanapalum, alterum ad eius exemplar a Cratete in se ipsum factum

τόσσ' ἔχω	*ταῦτ' ἔχω*
ὅσσ' ἔφαγον τε	*ὅσσ' ἔμαθον*
καὶ †ἔμπιον	*καὶ ἐφρόντισα*
καὶ μετ' ἐρώτων	*καὶ μετὰ Μουσῶν*
. . . .	. . . .
(A. P., VII, 325)	(A. P., VII, 326)

Pulcherrimus autem quem ex rationibus illis metricis percepi fructus positus est in eo, quod enclitica ab editoribus nostris haud raro perperam scribi intellexi. Persaepe enim minime sunt enclitica, immo aut proclitica aut accentum ipsa habentia, id quod arte quoque logica confirmatur. Cuius generis sunt haec exempla

καί ποτε | τοὶ τρὶς τόσσα παρέσσεται ἀγλαὰ δῶρα (*A*, 213)
χειρί τε | μὶν κατέρεξεν ἔπος τ' ἔφατ' ἔκ τ' ὀνόμαζεν (*A*, 361)
εἰ δ' ἄγε | τοὶ κεφαλῇ κατανεύσομαι, ὄφρα πεποίθῃς (*A*, 524)
τίς δὴ αὖ | τοὶ δολομῆτα θεῶν συμφράσσατο βουλάς; (*A*, 540)
αἰεὶ | τοὶ φίλον ἐστὶν ἐμεῦ ἀπονόσφιν ἐόντα (*A*, 541)
οὐδέ τι | μὶν παῖδες ποτὶ γούνασι παππάζουσιν (*E*, 408)
καί ποτε | τὶς εἴπῃσιν ἰδὼν κατὰ δάκρυ χέουσαν (*Z*, 459)
ὥς ποτε | τὶς ἐρέει, σοὶ δ' αὖ νέον ἔσσεται ἄλγος (*Z*, 462)
ἀλλ' ἄγε | μοὶ τὸ σκῆπτρον ἀνάσχεο καὶ μοι ὄμοσσον (*K*, 321)
ἦ ῥά γε | τοὶ μυσαρὰ καὶ τὶν ἐπίχαρμα τέτυγμαι; (Theocr. II, 20)

permulta alia. Sed in hac impeditissima de encliticis quaestione hic ego immorari non possum; alias si dis placet eam suscipere conabor.

Nec non ego iniudicatam relinquam oportet etiam quaestionem quae est de elisione. Videntur enim utut versuum rhythmus iubet vocales elisioni expositae modo efferendae esse, modo re vera eiciendae. Ante interpunctionem pausamque eas quamvis elisioni destinatas tamen pronuntiandas esse iam supra suspicati sumus. Atque si versum habes talem, qualis est Theocriteus

κεῖμαν δ' ἐν κλιντῆρι δέκ' ἄματα καὶ δέκα νύκτας (II, 86)

nonne verisimile utrobique *δεκα* efferendum esse? Accedit quod Herodianus (ad *A*, 441) *ἆ δείλ'* legendum esse praescribit *ἆ δειλέ*. In papyris quoque saepissime vocalis, quam nosmet elidimus, scribi solet; velut Herondas I, 1

θρέϊσσα, ἀράσσει .... Nec non in inscriptionibus; quarum exemplum habeas

[*Γῆ*]*Σκυθία περιβᾶσα Ἑκαταῖον τόνδε κέκε*[*υθε*]

(Latyschew in Mélanges Nicole pg. 303 sq.)

Aliis contra locis commendante versus rhythmo vocalis videtur eicienda esse. Quapropter equidem antiquos in elisione certis rationibus fortasse usos non esse arbitror; non aliter Plinius Minor et Apuleius in sententiarum clausulis vocales modo eliserunt modo retinuerunt.

Ea autem, quae de encliticis elisionibusque diximus, in trimetris non minus valere potuisse quam in hexametris consentaneum est.

Ultimum est, ut obiter tangam etiam hexametros qui dicuntur miuros. Quibus scis Lucianum[1]) usum esse in Tragodopodagra (vv. 312—324). Ex duodecim autem hexametris miuris, qui ibi obvii sunt, unus init in nostram formam quadriplicem:

εὔφορον, | *εὔληκτον*, | *ὀλιγοδρανές*, | *εὐπερίπατον*
– ⏑ ⏑ | – – – | ⏑⏑ – ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ ⏑ ⏓

Hactenus de hexametro. Qui quidem versus, cuius singuli pedes dactyli sunt itaque quasi deminuuntur, quoniam idem tot augescentes gradationes accipit: quo magis augescentes progressiones is versus assumet, cuius singuli pedes et ipsi augescunt, trimeter scilicet iambicus? Nam ut dactylus cadit, ita ascendit iambus.

Atque hic quoque ex eo quod inter omnes constat proficiscendum est in senariis iambicis semiquinariam quae dicitur longe tritissimam esse incisionem. Nam multo rarior in eis occurrit semiseptenaria. Cur autem quaeso

1) In Homero qui versus miuri nuncupantur (velut *M*, 208) hexametri sunt sani.

tam saepe illa adhibebatur semiquinaria? Nimirum ut evaderet gradatio quae est

⏑ – ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ – ⏑ –

7 11 morae.

Qua observata plane intellegimus qua ratione commoti evitaverint poetae praeter comicos positam post tertium pedem incisionem, ut per quam versus dividatur in duas partes omnino pares. Sed haec omnia notissima.

Verum enim vero exstant in trimetris iambicis et aliae progressiones eaedemque subtiliores. Quae minus notae esse mihi quidem videntur. Nam quominus recte intellegeretur senarii natura obstitisse arbitror ea, quae dicta sunt a grammaticis antiquis. A quibus, et a Graecis, quorum potiores fuerunt Aristoxenus et Hephaestio, et a Latinis inde a M. Terentio Varrone usque ad Terentianum Maurum, qui rem metricam per metra tractavit — ab omnibus igitur illis nullas trimetri caesuras scimus agnitas esse nisi semiquinariam semiseptenariamque. Quia autem antiquis fidendum esse clamabant, evenit, ut nunc quoque viri harum rerum periti Klotzius Christius alii in sententiis illis grammaticorum antiquorum tenaciter immorentur. At cur quaeso toti pendeamus ab illis auctoribus? Quid? nonne in arte, quam fiduciae pleni dicunt etymologicam, antiqui grammatici mirum in modum hariolati sunt? Nonne ineptissime faceremus, si in arte etymologica antiquis fidem haberemus? Non aliter nimirum in arte metrica quoque saepe mihi ab illis deflectendum esse videtur. Et cum ad Pindari metra perspicienda multae saeculorum series non suffecerint, vix sufficient ad Aeschyli metra intellegenda pauculae istae grammaticorum antiquorum sententiolae. Nihilo minus equidem, qui a vetustissimis philologis putem interdum digrediendum esse, non tantum digredior ab illis quantum nostratium quicunque, ut Schmidtius Westphahlius alii, rei metricae antiquorum rem rhythmicam nostram immiscuerunt.

Igitur iamdudum non deerant, qui quasi timide et submissa voce aliquid contra illas veterum sententias afferrent. In quorum numero erat Godofredus Hermannus, qui (El. doctr. metr. pg. 110) caesuram post secundi pedis thesin statuit non statutam ab antiquis hanc

◡ – ◡ | – ◡ – ◡ – ◡ – ◡ –,

quam secundum hexametri incisiones semiternariam nuncupari par est. Quam caesuram Hermannus perhibet saepe coniunctam esse cum incisione post tertium pedem posita, ita ut nascatur haec forma

◡ – ◡ | – ◡ – | ◡ – ◡ – ◡ –

Miram hercle Hermanni sententiam! Etenim multo saepius coniungitur haec caesura cum ea, quae est post quarti pedis thesin.

Quod melius observatum est ab Apelio. Illum enim memini disserere: «Außer dieser Hauptzäsur (scilicet praeter semiquinariam) findet man noch sehr oft die sogenannte Hefthemimeres. Die zweite Hälfte ist hier zu kurz, um einen neuen bedeutenden Einschnitt zu erhalten, der dagegen oft in der ersten bemerkt wird:

αἰδοῖον, ὀξύθυμον, εὐδόντων ὕπερ»

(Metrik II pgg. 355. 411). Attamen non sufficiunt haec; nam Apelius hanc caesuram, semiternariam dico, quae minime est secundaria atque quam Hermannus pro primaria habebat, secundariam esse arbitratur. Deinde Apelium, quod gravissimum, hos trimetros progressionis lege conditos esse profecto fugit.

Nec non Leutschius senarios affert (Grundriß zu Vorl. über d. griech. Metrik, 1841, pgg. 62/63) tales, de quibus nunc exponam. Sed ut ille non egit nisi *κωφὸν πρόσωπον*, ita hunc nunc silentio praeterire licebit.

Etiam minus de Naumanni libello (Die Cäsuren im Trim. d. soph. Elektra, Progr. Belgard 1877) verba facere

operae pretium est. Nam quia ille omnes trimetrorum in omnibus sedibus caesuras (et hanc

⏑ | – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – !)

enumerat, coniungit, accumulat, fieri non poterat, quin casu animadverteret (pg. 14) etiam hos versus

⏑ – ⏑ ¦ – ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ –.

Quod ut novum a se inventum proponit. At nonne Reichardus, ut specimen afferam, ante Naumanni libellum inter suos versus Graecos lucidos, quos obscuris versibus Graecis Lycophronis praefixit, tales versus non dico descripsit sed conscripsit? Nonne Theodorus Prodromus, duodecimi saeculi monachus, in *Γαλεωμυομαχίᾳ* poemate versus fecit eiusmodi

ὦ πάντες, ὦ σύμπαντες, ὦ θεοὶ μόνοι?

Westphahlius quoque disserit (Metrik[3], 1889, pg. 223) de caesura post secundam thesin posita. Quam caesuram ille quasi secundariam esse autumat. Deinde cum qua altera incisione coniungi soleat haec incisio post secundam thesin collocata iniudicatum ille praetermittit.

Attamen sunt, qui apertis verbis tales versus, quales mihi nunc in mente sunt

⏑ – ⏑ | - ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ –

agnoscant, velut Humborgius, qui de Euripide agens eiusmodi trimetros affert (Quaestiones Euripideae, diss. Bonn. 1909, pg. 27). Nec tamen quisquam omnino intellexisse videtur, qua lege tales senarii conditi essent.

Itaque cum iam antiqui quasi certam quandam necessitudinem interesse inter hexametros et trimetros animadverterint, id quod vel inde colliges, quod in Margita qui ferebatur Homeri promiscue adhibebantur hexametri et trimetri, nec non inde quod caesurarum nomina ab hexametro nimirum petita in senarios transferebantur — haec cum ita se habeant, argumenta non levia nobis profluent

ex trimetris cum hexametris accurate comparatis. Hexametros autem tripertitos exstare notum est hos

– ⏑ ⏑ – | ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – | ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏓

$1\frac{1}{2}$ $\quad$ 2 $\quad$ $2\frac{1}{2}$ pedes.

Non aliter instituti sunt senarii illi trimembres

⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ –

$1\frac{1}{2}$ $\quad$ 2 $\quad$ $2\frac{1}{2}$ pedes;

ita ut trimetri quoque tales adornati sint per gradationem gradationisque lege inventi conditique. Praeterea in hexametro vides tripertito, qui ipse totus constet ex pedibus qui deminuuntur, scilicet ex dactylis, partes secundam et tertiam versa vice initia capere a pedibus augescentibus, ab anapaestis dico; in trimetro contra tripertito, qui constet ex pedibus augescentibus, scilicet ex iambis, secundam et tertiam partes vice versa a pedibus qui deminuuntur, a trochaeis dico: ita ut et hic et illic commutatio quaedam auribus suavissima audiatur interque ambo versus certissima fiat similitudo.

Quibus adicere liceat tales trimetros quos bene tripertitos dico a trimetris inertius tripertitis toto genere diversos esse in comoediis praecipue obviis

⏑ – ⏑ – | ⏑ – ⏑ – | ⏑ – ⏑ –,

quorum mentionem faciunt multi nostrorum.

Graeci autem poetae praeter illam, de qua agimus, formam trimembrem, scilicet praeter

⏑ –́ ⏑ | –́ ⏑ –́ ⏑ | –́ ⏑ –́ ⏑ –́

adhibuerunt et hanc

⏑ –́ ⏑ | –́ ⏑ –́ | ⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ –́

et illam quoque

⏑ –́ | ⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ | –́ ⏑ –́ ⏑ –́.

Nam etiam hi duo postremi trimetri exhibent ictibus arithmetice distributis progressionem aliquam, sed eam minus nitidam. Videsne illam quoque similitudinem esse inter trimetrum et hexametrum, quippe in quo et ipso gradationem

ictibus arithmetice distributis viderimus? Ex quibus trimetri formis tribus, quae potissimum agnoscenda sit, non ubique diiudicari potest propter elisiones incertas, de quibus supra diximus.

Ne autem acquiescamus in his versibus bene tripertitis admirandis, fructum quoque inde capere conemur. Proinde perlustremus splendidissimam seriem carminum Graecorum trimetris conscriptorum.

At hic quoque primum attingenda est quaestio quae est de encliticis. Nam etiam in trimetris editores nostri saepe in encliticis errant. Exempli gratia affero versum Sophocleum, quem nostri editores scribunt

τοιαῦτά του παρόντος, ἡνίχ' Ἡλίῳ (Electra 424).

At *του* hic quidem minime est encliticon neque pertinet ad *τοιαῦτα*, immo procliticon (nam est «coram aliquo»). Quapropter scribendum esse contendo

τοιαῦτα του παρόντος ἡνίχ' Ἡλίῳ,

quod idem etiam versus rhythmo efficitur; etenim est

⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ –
τοιαῦτα | του παρόντος | ἡνίχ' Ἡλίῳ.

Similiter res perquam saepe se habet.

Iam ordinem carminum ducentibus nobis initium capiendum videtur nunc quoque si minus ab Homero ipso at tamen a scholiis Homericis. In quibus servantur (Schol. Ven. A ad *Z*, 35) duo senarii antiqui, quorum alterum habeas:

ὕδωρ γὰρ | οὐκ ἔνεστι, | διψῶσιν κακῶς.

Nec tamen in iis insisto, cum praesertim versus isti per scholiastam allati fortasse vetustiores esse videantur quam sunt.

Iambographorum quoque nisi obiter non adibo iambos, utpote quorum frustula tantum pauciora nobis tradita

exstent. Contentus sum hos saltem Archilochi versus proposuisse

κορωνός, | ἔργων ἴδρις, | οὐδ' ἀργός ⟨ποτε⟩ (frgm. 39, Bergk)
πρὸς τοῖχον | ἐκλίνθησαν | ἐν παλινσκίῳ (frgm. 34).

Nec non in Solonis Semonidisve versibus occurrunt trimetri tripertiti haud rari.

Multo uberius disputare licet de tragicorum senariis. Ac primum quidem ex Aeschyli fabulis diligenter adscribam versus quicumque ineunt in hanc formam tripertitam gradationibusque adornatam. Ita autem officio meo satisfaciam, ut talium senariorum genera in Aeschylo vel aliis scriptoribus tria enumerem; quorum primo attribuam versus seu tribus tantum vocabulis compositos, seu sensu in tres partes plane distributos, qualis est

σύριγγες οὐ σιγῶσιν ἀξονήλατοι (Aesch. Suppl. 167 Herm.)

Alteri generi apponam trimetros, qui semiquinaria quoque instructi videntur, sed ita, ut semiternaria semiseptenariaque longe potiores exstent, velut

καὶ Ζηνὸς | ὄρνιν τόνδε | νῦν κικλήσκετε (Suppl. 199).

Tertium denique genus mihi constabit ex senariis dubiis, qui neque contra sensum neque sensu suadente in tres partes disiungi possint; quorum propono specimen

Πίνδου τε | τἀπέκεινα, | Παιόνων πέλας (Suppl. 244).

Affirmo autem me non arbitrarie facturum esse in hac materia anquirenda. Quid mihi nunc in mente sit exemplo enarrem. Etenim in Aeschyli Persis (370) legitur inter ea, quae refert nuntius:

δεῖπνόν τ' ἐπορσύνοντο, ναυβάτης τ' ἀνήρ

Augmentum vero, quod dicitur, in nuntiorum praecipue sermonibus interdum omitti a tragicis notum est. Nam, ut in eadem fabula Aeschylea consistam, v. 501 invenitur *πῖπτον* vocabulum augmento carens in nuntii sermone positum et ipsum. Quapropter illic quoque scribens

πορσύνοντο conari potes versum in hanc quam tracto formam redigere trimembrem tragicisque ceterum gratissimam

{*δεῖπνόν τε* | *πορσύνοντο,* | *ναυβάτης τ' ἀνήρ*}

Talia, uti par est, ubique misi equidem, quippe cui hic sententia a textu, non textus a sententia pendeat.

Induunt igitur Aeschylearum fabularum formam tripertitam versus hi:

Ex Supplicibus

I: 167. 180. 219. 222. 223. 260. 268. 309. 365. 424. 429. 439. 449. 450. 462. 471. 475. 479. 481. 589. 684. 687. 697. 718. 724. 738. 744. 838. 840. 892. 905. 920. 930. 949. 955. 958. 971. 972. 976.

II: 176. 199. 202. 233. 278. 705.

III: 244. 245. 459. 979. 960.

Ita ut tripertiti sint 50 versus; in centenisque, quoniam fabula tota 478 habet senarios, 10,5 (10,5%).

Ex Persis

I: 182. 189. 197. 257. 303. 315. 318. 348. 353. 356. 376. 384. 421. 429. 447. 455. 458. 476. 505. 611. 624. 761. 772. 790. 803. 816. 821. 832. 845. 851.

II: 336. 392. 403. 453. 612. 760.

III: 209. 211. 766. 773. 775. 839.

Ita ut tripertiti sint 42 versus; in centenisque, quoniam fabula tota 428 habet senarios, 10 (10%).

Ex Septem adversus Thebas

I: 12. 16. 18. 19. 21. 32. 34. 37. 75. 77. 183. 226. 244. 245. 258. 370. 382. 391. 408. 417. 431. 441. 444. 471. 476. 488. 508. 514. 570. 623. 627. 645. 660. 694. 787. 797. 800. 1010. 1027.

II: 482. 606. 632. 678.

III: 4. 58. 176. 685.

Ita ut tripertiti sint 47 versus; in centenisque, quoniam fabula tota 544 habet senarios, 8,6 (8,6%).

Ex Prometheo vincto

I: 1. 26. 45. 80. 81. 116. 119. 207. 213. 227. 247. 262. 275. 348. 357. 362. 377. 381. 387. 438. 449. 470. 481. 493. 494. 503. 653. 703. 713. 766. 786. 837. 840. 860. 865. 866. 963. 982. 1003. 1038.

II: 55. 446. 807. 1010.

III: 44. 82. 223. 240. 335. 464. 490. 614. 771. 776. 808. 823.

Ita ut tripertiti sint 56 versus; in centenisque, quoniam fabula tota 774 habet senarios, 7,3 (7,3%).

Ex Agamemnone

I: 11. 12. 17. 18. 28. 30. 38. 252. 260. 265. 285. 288. 290. 293. 296. 315. 322. 330. 332. 339. 494. 502. 512. 530. 531. 533. 535. 541. 551. 558. 570. 574. 585. 594. 601. 603. 605. 608. 625. 626. 630. 631. 632. 640. 641. 652. 653. 655. 781. 796. 825. 852. 860. 863. 869. 883. 927. 931. 936. 1037. 1068. 1075. 1146. 1153. 1182. 1192. 1193. 1202. 1206. 1219. 1224. 1235. 1244. 1247. 1271. 1272. 1278. 1280. 1288. 1342. 1398. 1590. 1593. 1614.

II: 37. 593. 799. 909. 1171. 1187. 1242. 1380. 1378. 1364. 1573.

III: 34. 560. 592. 885. 897. 1003. 1017. 1046. 1188. 1254.

Ita ut tripertiti sint 107 versus; in centenisque, quoniam fabula tota 882 habet senarios, 12 (12%).

Ex Choephoris

I: 3. 83. 107. 116. 128. 144. 161. 167. 175. 188. 198. 206. 237. 245. 261. 265. 278. 284. 479. 486. 488. 498. 511. 512. 531. 542. 544. 551. 566. 574. 641. 648. 651. 653. 661. 676. 686. 694. 698. 721. 728. 743. 757. 769. 824. 829. 864. 877. 878. 886. 893. 981. 991. 992. 1005. 1006.

II: 135. 191. 196. 1022. 1025.

III: 87. 130. 160. 210. 221. 684. 838. 901. 1058.

Ita ut tripertiti sint 70 versus; in centenisque, quoniam fabula tota 620 habet senarios, 11,3 (11,3%).

Ex Eumenidibus

I: 4. 50. 55. 59. 73. 99. 100. 117. 147. 188. 194. 218. 226. 230. 232. 246. 389. 393. 412. 421. 444. 455. 478. 565. 584. 589. 599. 601. 607. 617. 644. 671. 676. 700. 708. 721. 728. 734. 744. 746. 752. 754. 755. 760. 763. 794. 855. 876. 895. 1008. 1014.

II: 1. 16. 266. 270. 290. 872. 615.

III: 29. 91. 244. 424. 437. 457. 472. 585. 636. 678. 713. 751. 789. 1011.

Ita ut tripertiti sint 72 versus; in centenisque, quoniam fabula tota 652 habet senarios, 11 (11%).

Ecce decimus vel undecimus quisque senarius ita ut indicavi conformatus est. Quis casu neque consilio poetae id factum esse arbitrabitur?

Quid concluditur ex his numeris? Primum quidem videbis in una quaque trilogiae fabula, quas uno tempore conscriptas esse scimus, Agamemnone, Choephoris, Eumenidibus, in universum et si senariorum multitudo respicitur, eundem fere contineri numerum versuum talium tripertitorum; cum contra in aliis rariores contineantur. Unde certam rationem inter fabularum Aeschylearum tempora et artem intercedere potest statui. Iam vero scholiis ad Aeschylum traditis optimis debetur, quod quinque illius fabulae certis temporibus tribui possunt, Persae anno 472, Septem adversus Thebas anno 467, Orestea quae vocatur anno 458. De Supplicibus ac Prometheo vincto dubitatur. Supplices enim alii compluribus de causis, quas enumerare longum est, vetustissimam Aeschyli fabulam esse arbitrantur; alii post Persas factas esse coniciunt. Acrior tamen virorum doctorum lis de Prometheo. Nosmet quomodo?

Oresteam primum quidem praetermittam et solas in censum venire iubeam reliquas quattuor Aeschyli tragoedias. Etenim

illarum duas certis annis tribuere licet. In fabula autem vetustiore, scilicet in Persis, saepius animadvertis occurrere versus tricorpores, rariores in Septem fabula recentiore; quae diversitas minime orta est ex rebus in his fabulis narratis. In Supplicibus vero, quae ex plurimorum sententia aute Persas scripta esse putatur[1]), versus illi adeo crebriores inveniuntur; ita ut, quo vetustiores sunt fabulae, eo saepius deprehendantur. Ad quae perbene quadrat plurimorum de Prometheo sententia. Hanc etiamsi Wilamowitzius post Oresteam demum scriptam esse contendit (Herm. XXI, pg. 610 sqq.), tamen ante eam eandemque post Septem conditam esse multis indiciis verisimile fit; id quod in nostras quoque rationes metricas quadrat. Nam ab Aeschylo videmus in fabulis his quattuor (etiamsi illum ipsum non semper eandem frequentiam artificii appetivisse consentaneum) senarios tripertitos eo rariores adhibitos quo sunt tragoediae recentiores. Ergo equidem, qui re metrica hic non utor nisi adiutorio secundario, hoc fabularum Aeschylearum duxerim agmen, cui similis est ordo fabularum institutus et a Dieterichio (vid. Pauly-Wissowa, s. v. Aischylos) et a Körteo (Mélanges Nicole):

fabulae	conscriptae	in centenis senariis occurrunt tripertiti
Supplices	fortasse paulo ante Persas	10,5
Persae	anno 472	10,0
Septem adv. Th.	anno 467	8,6
Prometheus	fortasse paulo post Septem adv. Th.	7,3
Orestea	458	12,0 · 11,3 · 11,0

1) Sic et alii et David M. Robinson (Encyclopaedia of Religion and Ethics ed. by J. Hastings vol. IV, pg. 880) et Joh. Geffcken (Die griechische Tragödie[2] pg. 25).

At iam quaeris, quid mihi in mente sit de Orestea, utpote in qua post Prometheum vinctum scripta huiusmodi tamen versus multo saepius legantur. Quod saepius leguntur in Orestea, id inde fortasse evenisse puto, quod Aeschylus ex Sophoclis exemplo ut alia multa ita rationes quoque metricas assumebat. Nam inde ab anno 468 fabulas suas publici iuris facere coeperat Sophocles, qui brevi tempore omnium oculos in se convertebat. Fortasse igitur Aeschylus, ut a Sophocle acceperat trium histrionum usum, Sophoclis fabulis cognitis intellexit in metrorum usu se parum varie facere. Fortasse tamen et ipse sua sponte post Prometheum conscriptum metra magis varia reddidit.

Reliquum est, ut Sophocles quomodo his versibus trigeminis usus sit doceam. Cuius fabulae quibus annis sint conscriptae, magnopere video dubitari. Quapropter ne diutius detinear loco tam scopuloso, non nisi pro specimine adhibeam tragoediam illam, quam Aechylo vivo doctam esse verisimile, Aiacem dico.

Ex Aiace tripertiti sunt trimetri (ed. Dind.-Mekl.)

I: 7. 20. 31. 40. 60. 62. 67. 84. 88. 105. 109. 111. 132. 267. 269. 273. 298. 299. 317. 329. 330. 369. 440. 444. 452. 455. 476. 502. 532. 545. 565. 576. 586. 654. 672. 682. 723. 724. 727. 752. 774. 781. 792. 811. 818. 823. 844. 860. 862. 904. 965. 993. 1009. 1026. 1037. 1038. 1059. 1079. 1092. 1094. 1099. 1122. 1123. 1127. 1128. 1130. 1139. 1150. 1152. 1159. 1173. 1182. 1183. 1237. 1240. 1284. 1290. 1291. 1302. 1314. 1328. 1357. 1363. 1382. 1383. 1387. 1396.

II: 39. 78. 285. 459. 505. 514. 783. 832. 895. 995. 1042. 1044. 1169. 1365. 1398.

III: 267. 316. 652. 793. 1021. 1243.

Ita ut tripertiti sint 108 versus; in centenisque, quoniam fabula tota 994 habet trimetros, 10,9 (10,9%). Quos

versus quod in aliis fortasse fabulis rarius admittit Sophocles, id quod compertum non habeo, minoris est momenti.

Sed Aeschylum Sophoclemque mittamus, admittamus Euripidem. Adscribam primum quidem Medeae versus, quotquot tripertiti gradationibusque illis compti sunt (ed. Murray):

I: 11. 20. 25. 28. 34. 59. 63. 73. 81. 88. 218. 257. 267. 269. 275. 278. 288. 313. 319. 321. 384. 401. 405. 476. 479. 480. 517. 535. 558. 572. 592. 606. 711. 717. 815. 869. 889. 895. 941. 944. 971. 1011. 1026. 1032. 1035. 1072. 1122. 1125. 1137. 1170. 1243. 1247. 1302. 1305. 1342. 1347. 1349. 1362. 1364. 1367.

II: 1186.

III: 1146. 1359.

Numerus versuum non plus 63 computatur; in centenis, quoniam fabula tota 1035 habet senarios, 6 (6%). Similiter se habet eiusdem poetae Helena:

I: 14. 38. 39. 40. 48. 70. 117. 118. 119. 129. 138. 254. 257. 265. 288. 312. 442. 461. 494. 497. 504. 539. 550. 582. 597. 616. 626. 672. 694. 721. 735. 740. 753. 793. 814. 816. 830. 858. 862. 865. 900. 913. 916. 930. 944. 1030. 1054. 1086. 1106. 1184. 1185. 1220. 1297. 1384. 1428. 1532. 1540. 1555. 1560. 1563. 1568. 1570. 1579. 1602. 1605. 1616.

II: 409. 607. 745. 961.

III: 1016. 1026. 1093. 1204.

Qui sunt 74 versus tripertiti; in centenis autem, quoniam fabula tota 1276 habet senarios, 5,7 (5,7%).

Ex quibus exemplis hos versus in Euripidis fabulis multo rariores deprehendi perspicis quam in Sophoclis vel Aeschyli. Cur rarius hic adhibiti sint facile explanari potest. Nam trimetros hos meministi conflatos esse ex membris minoribus, quorum minimum idemque primum

est ⏑ – ⏑. Tales particulae si citius recitantur, minore effectu feriunt aurem quippe nimis illae exiguae. Quapropter tales versus plerumque non adscitos esse consentaneum, nisi ubi lentius recitandum est, id est ubi maiorem gravitatem et magnificentiam induit sermo. Ab Euripide autem personas notissimum est ad verae potius vitae similitudinem factos esse, cum contra a Sophocle nec non ab Aeschylo homines quasi solito maiores graviores magnificentiores inducerentur. Quam ob rem in horum tragoediis merito inveniuntur senarii illi singulari cura structi, rariores in fabulis Euripideis.

Hic autem mihi in mentem veniunt quaedam de quibus seorsum disputem. Nam in Helenae Euripideae prologo cum rari sint trimetri illi, unus locus est conditus talibus versibus totus, is est, quo belli Troiani enarratur causa:

πόλεμον γὰρ | *εἰσήνεγκεν* | *Ἑλλήνων χθονί*
καὶ Φρυξὶ | *δυστήνοισιν,* | *ὡς ὄχλου βροτῶν*
πλήθους τε | *κουφίσειε* | *μητέρα χθόνα* (v. 38—40).

Cur ita? Propterea opinor, quia hoc Helenae loco refertur poema antiquissimum, Cypria ineuntia (vid. Kinkel pg. 20 sq.). Hoc omnibus notissimum poema sublimis naturae poeta renarrans, magnificentioribus rhythmis iure usus est.

Similia nunc demum enarranda videntur quae pertinent ad Aeschylum. Qui stichomythias quas vocamus aliquoties ita instituit, ut primum quidem eis, qui confabulantur, tales versus trimembres attribuantur aut rari aut nulli, contra in stichomythia exeunte utrisque personis dentur singuli senarii tripertiti. Eius rei exempla afferam:

— — — — — —

ΒΑΣΙΛΕΥΣ: *ἤκουσα* | *δακνιστῆρα* | *καρδίας λόγον*
ΧΟΡΟΣ: *ξυνῆκας ·* | *ὠμμάτωσα* | *γὰρ σαφέστατα*
(Suppl. 449/450)

et — — — — — —

ΧΟΡΟΣ: λέγοις ἂν | ὡς τάχιστα, | καὶ τάχ' εἴσομαι.
ΕΤΕΟΚΛΗΣ: σίγησον, | ὦ τάλαινα, | μὴ φίλους φόβει.
(Sept. adv. Th. 244/245)

— — — — — —

ΚΡΑΤΟΣ: ὀργῆς τε | τραχύτητα | μή' πίπλησσέ μοι.
ΗΦΑΙΣΤΟΣ: στείχωμεν, | ὡς κώλοισιν | ἀμφίβληστρ' ἔχει.
(Prom. 80/81)

Nec haec casui apponamus. Nam in ipsis stichomythiis, quippe quibus altercationes quaedam depingantur, versus illi lentiores et tranquilliores minus idonei esse videntur; cum contra eidem merito adhibeantur in stichomythiis exeuntibus, quibus aliquid sublimius admisceatur; sive quis consilium se cepisse narrat, ut est in Supplicibus, sive animos obsessarum tranquilliores esse fingitur, quod habes in Septem loco laudato, sive totius episodii partem finitam esse significatur, quod animadvertitur in Promethei illo loco.

At pauca adicienda sunt de Euripidis Cyclope satyrica. Nec enim eis, quae supra de senariorum illorum ratione ac vi disseruimus, repugnat, quod in Cyclope saepius invenies trimetros tripertitos. Etenim in hac fabula persaepe arripuit poeta id sibi mumus, ut tragoediarum elocutionem et augendo et mutando haberet ludibrio. Cuius rei exemplum luculentissimum allatum est ab Hahneo, qui docuit (Philologi t. LXVI, pg. 47) versum Euripideum

μήλειον ἢ βόειον ἢ μεμιγμένον (Cycl. 218)

panctum esse ad Aeschyli trimetri exemplar huius

ϑεόσυτος ἢ βρότειος ἢ κεκραμένη; (Prom. 116)

Sed vel ex rhythmo tripertito apparere dico hos versus a poeta ad tragoediam deludendam factos esse. Atque si intellexerimus illas res exiguas humilesque quas agitat a Polyphemo recitari eodem rhythmo, quo in tragoediis recitantur res gravissimae: eo magis iocum parodicum deri-

debimus. Similes autem versus Cyclopis satyrici sunt et multi alii et

γάλακτι καὶ τυροῖσι καὶ μήλων βορᾷ (122)

nec non

ὤμοι μάλ', ὡς ὑβρίσμεθ', ὡς ὀλώλαμεν (665)

in quo versu Polyphemus ille scurra non aliter se gerere instituit ac tragoediarum heroes. Quin etiam grammatici antiqui et ipsi talia perspexisse videntur. Nam si auctor anonymus octavae *περὶ κωμῳδίας* commentationis (Arist. com. ed. Bergk, ed. altera, pg. XXXVII § 17) *σχῆμα λέξεως*, quod *φωνῇ γίγνεται*, risum movere ait: nonne similia fortasse illi erant in animo ac de quibus nosmet exposuimus; nam metrica pronuntiatio et ipsa *φωνῇ γίγνεται.*

Ioci autem causa Lucianus quoque Ocypodem suum voluit initium capere a senariis illis triplicibus, nec non idem etiam Tragodopodagrae prologo eos immiscuit. Quin etiam occurrunt in tragoediis ipsis tales ad tragoedias eludendas facti versus. Quod habes in Euripidis Helena, ubi Menelaus pannis vestitus vociferatur:

ἔξεστι, | *πείσομαι γάρ ·* | *ἀλλ' ἄνες λόγον* (442)
ὦ δαῖμον, | *ὡς ἀνάξι'* | *ἠτιμώμεθα* (455)
Αἴγυπτος; | *ὢ δύστηνος,* | *οἷ πέπλευκ' ἄρα* (461).

Talibus versibus poeta auctore risum potius quam maerorem spectatoribus audientibusque motum esse putabimus.

At nimis ex itinere deflexi. Tandem enim oculis subiciantur Cyclopis satyri quicumque senarii sunt tripertiti.

I: 17. 87. 91. 105. 118. 121. 122. 123. 134. 145. 218. 221. 234. 237. 238. 239. 266. 284. 316. 323. 337. 339. 344. 350. 388. 428. 438. 465. 522. 539. 583. 598. 629. 639. 640. 654. 665. 666. 667. 681. 708.

II: —

III: —

41 versus tripertiti; in centenisque, quoniam fabula tota 586 habet senarios, 6,9 (6,9%).

De Rheso, qui fertur Euripidis, paucula. *Τοῦτο τὸ δρᾶμα ἔνιοι νόθον ὑπενόησαν ὡς οὐκ ὂν Εὐριπίδου. τὸν γὰρ Σοφόκλειον μᾶλλον ὑποφαίνει χαρακτῆρα* (*ὑποθ.* Rhesi). Quae grammatici antiqui sententia confirmari potest etiam re metrica; etenim inveniuntur in Rheso trimetri trimembres crebriores quam in tragoediis Euripideis. Senarii sunt tripertiti in Rheso

I: 63. 77. 127, 308. 328. 329. 337. 390. 400. 418. 494. 508. 565. 582. 641. 653. 657. 758. 781. 785. 788. 791. 793. 801. 849. 850. 854. 862. 880. 917. 922. 967. 969. 992.

II: 53. 54. 60. 95. 269.

III: 288. 765. 935.

42 versus tripertiti; in centenisque, quoniam fabula tota 573 habet senarios, 7,3 (7,3%).

Quae vero supra de Euripidis Cyclope disseruimus, multo aptius cadunt in fabulas Aristophaneas, quippe quibus perquam saepe sublimis tragicorum oratio exagitetur. Unde versus illos in comoediis Aristophaneis non raro occurrere concludes. Accedit autem hoc peculiare, quod saepe in comoediis, id quod in Cyclope quoque Euripidea fit, trimetri tales varie solutis syllabis mutantur et, si comparas tragoediae versus, deminuuntur; ut est

ἔασον, ὦ δαιμόνιε, καταδαρθεῖν τι μέ (Nub. 38).

Iam vero ipsos numeros videamus. Nubium sunt trimetri tripertiti hi (ed. Bergk):

I: 37. 38. 41. 42. 43. 64. 81. 88. 96. 113. 122. 125. 137. 150. 182. 220. 493. 629. 772. 773. 785. 794. 795. 861. 875. 883. 1107. 1133. 1156. 1193. 1195. 1200. 1214. 1218. 1244. 1290. 1293. 1327. 1343. 1345. 1469.

II: 195. 1328.

III: 646. 655.

43 versus tripertiti; in centenis, quoniam fabula tota 764 habet senarios, 5,6 (5,6%).

De quibus Nubium versibus singulis multa dici possunt. Etenim, quod supra de Cyclope monui, res ridendae saepe maiorem risum excitant recitatae, quamquam sunt ipsae levissimae, rhythmo elatiore tragico eodemque gravissimo. Cuius rei exempla laudem petita ex Nubibus:

δάκνει με | δήμαρχός τις | ἐκ τῶν στρωμάτων (37)
εἴθ' ὤφελ' | ἡ προμνήστρι' | ἀπολέσθαι κακῶς
ἥτις μὲ | γῆμ' ἐπῆρε | τὴν σὴν μητέρα (41/42)
οὐδ' ἄπορον | οὐδὲ σκαιὸν | οὐδ' ἐπιλήσμονα (629)
δέδοικα | καὶ πέφρικα | καὶ βδελύττομαι (1133)
αὐτοί τε | καὶ τἀρχαῖα | καὶ τόκοι τόκων (1156)
εἶτ' ἄνδρα | τῶν αὑτοῦ τι | χρὴ προϊέναι; (1214)
ὦ μιαρὲ | καὶ πατραλοῖα | καὶ τοιχωρύχε (1327).

Ceterum Klauerus in dissertatione, quae est de Aristophanis trimetrorum compositione artificiosiore (Marp. a. 1905), ipse quoque de Aristophanis egit versibus, qui ad eludendam tragoediam facti sint. In quibus versibus componendis poetam pedibus non solutis usum esse docuit, forma autem illa tripertita usum esse fugit Klauerum.

Sed plura de Nubium versibus disputabo. Qui non omnes nimirum conditi sunt ad tragoediam ludibrio habendam. Etenim aliter se habet versus 113

τὸν κρείττον', | ὅστις ἐστί, | καὶ τὸν ἥττονα

qui mea quidem sententia instructus est tripertitus, ut audientium aures arrigeret; nam in uno hoc senario continetur id ipsum, contra quod tota fabula est facta, scilicet sophistarum placita. Porro versus 794 et 795

ἡμεῖς μέν, | ὦ πρεσβῦτα, | συμβουλεύομεν
εἴ σοί τις | υἱός ἐστιν | ἐκτεθραμμένος

mihi videntur et ipsi trimembres facti esse, ut audientium aures arrigerent; nam in eis dicuntur, quae ad fabulae actionem porro ducendam maximi sunt momenti. Non

aliter se habere putaverim Helenae Euripideae versus tres inde a versu 117:

ΕΛΕΝΗ: εἶδες σὺ | τὴν δύστηνον; | ἢ κλύων λέγεις;
ΤΕΥΚΡΟΣ: ὥσπερ σέ γ', | οὐδὲν ἧσσον, | ὀφθαλμοῖς ὁρῶ
ΕΛΕΝΗ: σκοπεῖτε | μὴ δόκησιν | εἴχετ' ἐκ θεῶν.

Sic et multi versus alii et eiusdem fabulae versus 858:

Μενέλαε, | διαπεπράγμεθ' · | ἐκβαίνει δόμων.

Nam in omnibus his versibus graviore forma adornatis enarrantur ea, quae pondus habent in actione continuanda. At de illis copiosius agere longum est, cum nostrum nunc non sit haec sedulo perlustrare sed breviter degustare.

Post Aristophanem aggrediamur Menandrum. Qui et vitae humanae verae imaginem depinxit nec vero tragoediarum elocutionem nisi perquam raro elusit. Addas quod in Menandri memoria, ita ut ipsa quoque Alexandrina aetate, praepollere coepit Euripidis auctoritas[1]), qui tales versus graves Aeschylo et Sophocli gratissimos et ipse parcior adhibuit. Quae cum ita sint, num quaeso miraberis a Menandro trimetri formam trimembrem fere nusquam admissam esse? Admissa autem est aliquoties in argumentis fabularum Menandrearum metricis.

Quoniam vero de argumentis Menandrearum fabularum locutus sum, attexere liceat in argumentis, quae ad Aristophanis fabulas tradita feruntur Aristophanis Byzantii, fere numquam inveniri tales trimetros. Quodsi in argumentis illis tres trimetri trimembres in centenis, apud Aeschylum in centenis decem evadunt: nonne vel ex eo

---

1) Mentione dignissimum, quod in Anth. Pal. l. VII ineunte sepulcralia feruntur Aeschyli 3, Sophoclis 5, Euripidis 8. Quin etiam in scholiis ad Lycophronis Alexandram traditis (ad vrs. 135) senarius Euripideus laudatur tamquam *παροιμία* sit. In Boetio quoque legimus «Euripides meus». Aeschyli contra fabulae iam Aristoteli erant tamquam obsoletae.

denuo intellegitur non casu evenisse, quod hic saepius occurrunt quam illic?

Ceterum sicut in his argumentis grammaticique versibus, ita in grammatici quoque carmine infimae aetatis de rebus scenicis conscripto senariisque conditô vix illi deprehenduntur; Tzetzae dico carmen, quo, quod attinet ad materiam enarratam, non male, quod attinet ad formam enarrandi, non bene exponitur de tragoedia et de comoedia. At haec mittamus.

Iam revolvamur paulisper ad tempora antiqua. Theocritus enim, a quo hexametros gradationibus adornatos saepe scimus adhibitos esse, etiam trimetros gradationis lege factos admisit. Nam in epigrammate XXIV, in quo quattuor senarii occurrunt, tres deprehenduntur tripertiti:

(v. 1) *Ἀρχαῖα | τὠπόλλωνος | τἀναθήματα*

(v. 2) *ὑπῆρχεν · | ἡ βάσις δὲ | τοῦ μὲν εἴκοσι,*

(v. 3) *τοῦ δ' ἑπτά, | τοῦ δὲ πέντε, | τοῦ δὲ δώδεκα.*

Denique quam triti tunc quidem temporis fuerint hi versus, et inde concludes, quod illi in hymno sacro, qui inter carmina popularia typis mandari solet (Bergk, Anth. lyr., carm. pop. 46), aliquoties animadvertuntur. Etenim legimus

ἢ οὐκ εἰσίν, ἢ οὐ προσέχουσιν ἡμῖν οὐδὲ ἕν (v. 17)

et *οὐ ξύλινον οὐδὲ λίθινον ἀλλ' ἀληθινόν* (v. 19).

Superest ut ad Romanos me convertam. Ac Plautus quidem hos versus, quod sciam, admisit fere numquam. Quod ex eo quoque intellegitur, quod Luchsius (Quaest. metricae Plautinae, diss. Gryphisw. 1872, pg. 6 sq.) Plautum demonstravit usum esse praeter versus semiquinaria instructos persaepe versibus his

⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ | – ⏑ –

quae caesura coniungitur secundum Luchsium cum incisionibus:

⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ – ⏑ || – ⏑ –

⏑ – ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ || – ⏑ –

⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ | – ⏑ || – ⏑ –

Eosdem versus Gottschalkius docuit (Senarius qui vocatur Terentianus comp. cum trim. Graecorum com. novae, Progr. Patschkau 1893, pg. XXIII) inveniri in comoediis Terentii. Qui poeta Schuberto auctore (Symb. ad Terentium emendandum, Progr.) in deliciis habuit etiam huius generis versus:

◡ – ◡ – | ◡ – ◡ – ◡ – ◡ –
◡ – ◡ – ◡ – | ◡ – ◡ – ◡ –
◡ – ◡ – ◡ – ◡ – | ◡ – ◡ –[1])

Tales senarii quantum distent a trimetris tripertitis, in quibus tractandis versamur, in propatulo est. Nec mirum quod hi versus in comoediis Plauti Terentiive non occurrunt, quippe qui toti dependerint a Menandro eiusdemque aequalibus, qui et ipsi tales trimetros graviores de industria evitaverunt.

At Catullus, qui quantopere Graecos poetas foverit notum est, interdum panxit eiusmodi versus; adfero eius quarti carminis versum 10

ubi iste, post phaselus, antea fuit

et 4 *nequisse praeterire, sive palmulis.*

A Seneca contra tragico nisi per casum non admissos esse putaverim.

Denique in Martialis versibus leviusculis quis eos quaeret?

Iam alio spectemus. Nam ut in hexametris subnascebatur versuum genus certissimis rationibus quadripertitorum et gradatione quadrifaria instructorum: non aliter ex senariis semiquinaria adornatis orti sunt versus quidam et ipsi certissimis rationibus quadripertiti progressionibusque distincti suavissimis. Atque ut hexametri illi quadrimembres a poetis Alexandrinae aetatis, a Theo-

1) Similiter iudicavit de comoediarum Graecorum senariis Perschinka (de med. et nov. quae vocatur comoediae Atticae trimetro iambico, diss. Vindob. 1891).

crito praecipue, admissi sunt: ita senarii quoque illi quadruplices imprimis adhibiti sunt a poeta Alexandrino, nempe a Lycophrone. En senariorum illorum exempla

Δαίμων | Προμανθεὺς | Αἰθίοψ | Γυράψιος
(Lyc. Alex. 537)

et *κέντρῳ | δυσαλθὴς | ἔλλοπος | Σαρδωνικῆς* (ibid. 796)

Quos versus si comparaveris cum hexametro quadripertito, easdem rationes geometricas intercedere videbis et hic et illic·


– ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ – | ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ – ⏓

1 [+ ½ =] 1½ | 1½ [+ ½ =] 2 pedes


⏑ – | ⏑ – ⏑ | – ⏑ – | ⏑ – ⏑ –

1 [+ ½ =] 1½ | 1½ [+ ½ =] 2 pedes.


Et oriuntur in hoc quoque trimetrorum genere non aliter atque hexametrorum quinque adeo gradationes, quas omnes breviter complectar schemate hoc



Deinde quae supra (pg. 45) diximus de tripertitorum hexametrorum senariorumque particulis quae aut diminuantur aut augescant, eadem valent de his trimetris quadrimembribus, si eos cum hexametris comparamus. Nam sunt hexametri et trimetri tripertiti (hic autem tertiam hexametri formam adhibeo):



Non aliter hexametri et trimetri quadripertiti:



Nec solus Lycophro talia praebet, sed iam tragici Athenienses, ad quos nunc revertimur. Unde hoc discimus quod sequitur: etiam in senariis ut in hexametris saepe distributione verborum versus quadripertitos esse apparet. Ex permultis eiusmodi senariis eligo exempla

Μοῖραι | τρίμορφοι | μνήμονές τ' | Ἐρινύες[1])
(Aesch. Pr. 518)

Σοφοὶ | τύραννοι | τῶν σοφῶν | συνουσίᾳ
(Soph. frgm. 13 N^2)

σιγῶν θ' | ὅπου δεῖ | καὶ λέγων | τὰ καίρια
(Aesch. frgm. 208 N^2)

ex quo versu factus est Euripideus (vid. Gellii N. A. XIII, 19 Hosius):

σιγᾶν θ' | ὅπου δεῖ | καὶ λέγειν | ἵν' ἀσφαλές
(frgm. 413 N)

λέγω | τι[2]) *τούτων | ἢ οὐ λέγω | πεπραγμένον;*
(Soph. Oed. T. 1140)

αὐτός τ' | ἔδησα | καὶ παρὼν | ἐκλύσομαι
(Soph. Ant. 1112)

---

1) Senarius hic persimilis est hexametro illi Epimenideo et ipsi quadripertito

Μοῖραί τ' | ἀθάνατοι | καὶ Ἐρινύες | αἰολόδωροι.

2) Etenim *τι* vocabulum hic quidem minime esse encliticon sed potius procliticon, non tantum re metrica efficitur, sed etiam arte logica; nam est «eorum aliquid».

Quin etiam in Antigonae fabulae stichomythia talium versuum uno loco tres inveniuntur

ἤδ' οὖν | θανεῖται | καὶ θανοῦσ' | ὀλεῖ τινα (751)
κλαίων | φρενώσεις | ὢν φρενῶν | αὐτὸς κενός (754)
βούλει | λέγειν τι | καὶ λέγων | μηδὲν κλύειν; (757)

Versus Euripidei:

γνώμην δ' | ἔχοντα | μ' ἡ φύσις | βιάζεται
(frgm. Chrys.)
ἡ γῆ δ' | ἀνάγκῃ | κἂν θέλῃ | κἂν μὴ θέλῃ
(Cycl. 332)
κακοῖς | τὸ κέρδος | τῆς δίκης | ὑπέρτερον
(frgm. 758 N).

Similiter se habet senarius, qui fertur aut Platonis aut Dioginis Antisthenisve

αἰσχρὸν | τό γ' αἰσχρὸν | κἂν δοκῇ | κἂν μὴ δοκῇ.
ἢ ζῆν | ταπεινῶς | καὶ ἱκανῶς | ἐλεύθερον (Menandri)
οἴκοι | μένειν χρὴ | καὶ μένειν | ἐλεύθερον (Menandri)
σοφῶν | ἔοικε | ῥημάτων | μεμναμένους
(Theocr. epigr. XVIII, 7)
μιᾷ | δὲ κρύψαι | τοὺς διπλοῦς | ὑπὲρ πάτρας
(Lyc. Alex. 226).

In versu, qui servatur in scholiis Sophocleis

εὗρες, | Σοφόκλεις, | ἐν σοφοῖς | μέγα κλέος[1])

pulcherrime nominis Sophoclei membra duo duabus senarii particulis adscripta sunt.

In eiusmodi autem versibus semiquinaria incisio erat principalis, quod intellegitur etiam ex talibus trimetris, qualis est

ὕπαγε, τί μέλλεις; οὐκ ἐλᾷς, ὦ σαμφόρα;
(Arist. Nub. 1298)

---

1) Nota vocativum in secunda versus particula, non aliter ac persaepe in hexametris, positum.

ita ut plerumque trimetri isti non ita sint accipiendi

⏑ – ‖ ⏑ – ⏑ ‖ – ⏑ – ‖ ⏑ – ⏑ –

sed ⏑ – | ⏑ – ⏑ ‖‖ – ⏑ – | ⏑ – ⏑ –

Quapropter recitatos esse puto hos senarios saepe non aliter atque ad exemplum huius simplicissimi schematis

⏑ – ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ – ⏑ – .

Sic enim quo pacto fugerint trimetri illi grammaticos antiquos intellegimus. Sic intellegimus id quoque cur Euripides, qui graviores illos versus tripertitos in tragoediis suis parcior adhibuit merito, non immerito largius adhibuerit hos trimetros quadripertitos ut paulo minore gravitate adfectos.

Iam vero in hac quoque trimetri forma quadripertita adiuvamur eis, quae ab aliis viris doctis allata sunt. Etenim Johannes Uhle (De Menandri arte metrica, diss. Monast. a. 1912) in Menandri ait trimetris binos pedes postremos plerumque constare aut ex singulis vocabulis aut ex compluribus vocibus arctius coniunctis, ita ut fiat distributio

⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⁝ ⏑ – ⏑ –[1])

Videsne ab Uhleo inscio aliqua ex parte idem quod ego sentio demonstratum esse? Iam ante Menandrum pangebantur versus tales quadripertiti; qui etiamsi a Menandro ipso fere numquam adhibebantur, tamen tales quales Uhleus agnovit versus fecit hic poeta memor senariorum eiusmodi quadripertitorum antea ab aliis velut ab Euripide conditorum.

Eadem atque Uhleus perspexerat antea, qui Aristophaneas comoedias perbene vertebat Germanice, Minckwitzius[2]). Qui de versu Nubium 1202

ἡμέτερα κέρδη τῶν σοφῶν ὄντες λίθοι

---

1) Nunc qua ratione Terentius caesuram post quartum pedem positam adhibuerit perspicimus.

2) Aristophanes' Lustspiele, deutsch von Prof. Dr. Johannes Minckwitz, Berlin u. Stuttgart 1855—1909.

disputans monet (l. l. III pg. XLIII) perperam interpunctum esse a C. F. Hermanno

ἡμέτερα κέρδη τῶν σοφῶν ὄντες, λίθοι.

Iam audi Minckwitzium docentem: «Der Fall des Rhythmus erheischt, daß *ὄντες λίθοι* zusammen verbunden und als zusammengehörend ausgesprochen werde und daß die Stimme nach dem vierten Jambenlaut innehalte».

Magis etiam invant, quae idem vir doctus disputat (l. l. pg. XLV) de versu Nub. 1203

ἀριθμὸς πρόβατ᾽ ἄλλως ἀμφορῆς νενησμένοι

quem versum Godofredus Hermannus interpungi voluit

ἀριθμός, πρόβατ᾽, ἄλλως, ἀμφορῆς νενησμένοι,

Minckwitzius autem: «Der Rhythmenfall des Verses bringt es mit sich, daß man einerseits nach *ἄλλως* mit der Stimme anhält, andrerseits *πρόβατ᾽* mit *ἄλλως* zusammen ausspricht». Ergo legendum est, uti legitur in nostris editionibus:

ἀριθμός, πρόβατ᾽ ἄλλως, ἀμφορῆς νενησμένοι.

Cur autem sic sit legendum Minckwitzius nescit. Est autem hoc quod versus sic interpunctus abit quadripertitus progressionibusque, quamvis ratione solutiore, instructus

◡ ◡ ⊥ | ◡ ◡ ⊥ – | ⊥ ◡ ⊥ | ◡ ⊥ ◡ ⊥
1 1½ | 1½ 2 pedes.

Ne autem, tam subtilia dum profero, hariolari videar, age ex Lycophronis Alexandra ineunte appingam, quicumque senarii sunt quadripertiti (ed. Scheer):

1. 10. 12. 21. 31. 35. 36. 48. 52. 72. 100. 109. 111. 116. 123. 126. 139. 148. 153. 181. 187. 191. 209. 212. 220. 226. 229. 231. 244. 246. 248. 257. 265. 268. 270. 278. 280. 283. 284. 299.

Itaque ex 300 Alexandrae trimetris, quorum 181 instructi sunt semiquinaria, 40 ineunt in hanc formam quadripertitam.

Ergo versuum semiquinaria instructorum quadripertiti sunt 22 in centenis. Fatendum est permagnum hunc esse numerum.

Trimetros quadrimembres non casu factos esse ex aliis quoque rebus colligi potest. Nam saepenumero Lycophro, ubi novam poematis particulam aggreditur, ibi hanc senariorum formam praetulit[1]); cuius rei exempla sunt versus

31. 229. 314. (348.) 417. 439. 993. 1123. 1141. 1226. 1322. 1409. 1435.

Nec non ubi aliquod vaticinationis Cassandreae membrum finitur; quod fit in versibus

231. 248. 257. 280. 910. 977. 1089. 1188. 1408.

Eadem nimirum ratione et arte factum est, ut in carmine et ineunte et exeunte tales ponantur; dico versum 1

λέξω | τὰ πάντα | νητρεκῶς, | ἅ μ' ἱστορεῖς

et versum 1474

σώζων | παλαιὰν | Βεβρύκων | παγκληρίαν,

quin etiam ut vaticinii ipsius versus primus sit quadripertitus:

αἰαῖ, | τάλαινα | θηλαμὼν | κεκαυμένη (v. 31).

Versum vero Alexandrae 766, quem scribunt Reichardus, Kinkelius, Scheerius

οὔπω μάλ', οὔπω, μὴ τοσόσδ' ὕπνος λάβοι

---

1) Bucolici quoque poetae hexametros illos quadripertitos gradationibusque ornatos saepe aut in ipso carminum initio aut ibi esse iusserunt ubi in carminibus nova pars incipit. Huc pertinet quod Birtius (Claudianus pg. CCXII) animadvertit a Claudiano, ubi novam partem incipit, saepe hexametros adhibitos esse gradatione distinctos, dico semiternaria et semiseptenaria instructos tripertitos, qui incisione *κατὰ τρίτον τροχαῖον* assumpta induunt formam quadripertitam hanc

– ◡ ◡ – ‖ ◡ ◡ – ◡ | ◡ – ‖ ◡ ◡ – ◡ ◡ – ◡̄

equidem puto scribendum esse

οὔπω, μάλ' οὔπω, μὴ τοσόσδ' ὕπνος λάβοι

non ea tantum ductus ratione, ut versus fiat quadripertitus, sed quia *μάλα* vocabulum et post et ante vocem poni posse constat. Nam ut exemplum *μάλα* vocis afferam ante vocem ad quam pertinet positae: Soph. El. v. 1410 legitur *ἰδοὺ μάλ' αὖ θροεῖ τις* et v. 1417 eiusdem fabulae *ὤμοι μάλ' αὖθις*. Quod autem ad versum illum Lycophronis attinet, Stephanus lexici auctor illustrissimus similiter statuisse videtur, aut Dindorfius thesauri illius editor. Nam vide Th. L. Gr. s. v. *μάλα*.

Iam ut trimetri tripertiti, quippe quibus spectatorum aures arrigantur, nonnumquam ibi adhibentur, ubi actionis progressus promittitur: non aliter se habent, id quod in Lycophrone attigimus, trimetri quadripertiti. Exempla affero nonnulla:

Eur. Med. 18 *γάμοις 'Ιάσων βασιλικοῖς εὐνάζεται*

Soph. El. 1159 *μορφῆς σποδόν τε καὶ σκιὰν ἀνωφελῆ*

Spoh. Oed. T. 371 *τυφλὸς τά τ' ὦτα τόν τε νοῦν τά τ' ὄμματ' εἶ*

(ut enim hoc versu Oedipus Tiresiam caecum esse dicit, sic ipse postea se caecum fuisse intelleget).

Etiam Aristophanes, ubi Socratis personam inducere incipit, facetissime fecit quadripertitum trimetrum hunc (Nub. 219):

ΜΑΘ.: αὐτός.

ΣΤΡΕΨ.: τίς αὐτός;

ΜΑΘ.: Σωκράτης

ΣΤΡΕΨ.: ὦ Σώκρατες.

Nec non ab eodem versus ille, quo Strepsiadis animum a pristina sententia deflexum esse discimus, quadrimembris est factus (1462):

ὤμοι, | πονηρά γ', | ὦ Νεφέλαι, | δίκαια δέ.

Atque sic ut hexametros trimembres quadrimembresque in precationibus usurpatos esse vidimus, exemplum habeas trimetrorum quoque talium in precationibus adhibitorum. In Solonis enim iambis legitur

μήτηρ | μεγίστη | δαιμόνων | Ὀλυμπίων
ἄριστα | Γῆ μέλαινα, | τῆς ἐγώ ποτε ·
ὅρους | ἀνεῖλον | πολλαχῇ | πεπηγότας

(frgm. 36, 2—4 Bergk[4]).

Tum liceat adicere etiam comicorum Graecorum sententias morales, quae nobis excerptae traditae sunt, persaepe conscriptas esse talibus versibus gradatione distinctis.

Singula quaedam tangam. Etenim in Theocriti epigr. XXIV, de cuius quattuor trimetris supra diximus tres esse tripertitos, quartus factus est quadripertitus, ita ut totum carmen induat hanc formam

Ἀρχαῖα | τὠπόλλωνος | τἀναθήματα
ὑπῆρχεν · | ἡ βάσις δὲ | τοῦ μὲν εἴκοσι,
τοῦ δ' ἑπτά, | τοῦ δὲ πέντε, | τοῦ δὲ δώδεκα
τοῦ δὲ διηκοσίοισι νεωτέρη ἦδ' ἐνιαυτοῖς ·
τοσσόσδ' | ἀριθμὸς | ἐξέβη | μετρούμενος.

Similiter se habet epigramma Crinagorae (A. P., Anth. Plan. 199), quod initium capit a trimetro tripertito

καὶ κλαῖε καὶ στέναζε συσφιγχθεὶς χεροῖν

idemque finitur

πέπονθας οἷ' ἔρεξας · ἐσθλὸν ἡ δίκη,

versus autem 7 est quadripertitus

Ἔρως · | τὰ θνητῶν δ' | ἐστί σοι | γέλως ἄχη[1]).

---

1) Vocabula *γέλως ἄχη* contraria significantia animadvertis uno versus membro coniungi non aliter atque in Homeri

οἱ μὲν | πάντες ἰῷ | κίον ἤματι | Ἄιδος εἴσω (Z 422).

Denique paucula disseram de Oedipodis Regis argumento metrico, quod fertur vel ferebatur esse Aristophanis Byzantii. In quo, cum contra in argumentis metricis ad Aristophaneas comoedias traditis occurrant trimetri quadripertiti fere nulli, quinque versus videmus factos esse quadripertitos; videlicet:

(v. 1) *λιπὸν Κόρινθον Οἰδίπους, πατρὸς νόθος*
(v. 3) *ἦλθεν πυθέσθαι Πυθικῶν θεσπισμάτων*
(v. 4) *ζητῶν ἑαυτὸν καὶ γένους φυτοσπόρον*
(v. 6) *ἄκων ἔπεφνε Λάϊον γεννήτορα*
(v. 11) *ὅπως πύθηται τοῦ κακοῦ παυστήριον.*

Tanta igitur dissimilitudo intercedit inter argumentum illud Oedipodis Sophocleae et argumenta fabularum Aristophanearum quae et ipsa feruntur Aristophanis Byzantii, ut hoc et illa num ab eodem conscripta sint dubitari possit. Similiter autem de illis argumentis iudicaverat olim Nauckius (Aristoph. Byz. gramm. Alex. frgm., pg. 256), cui frustra oppugnare conatur Leo (Plautinische Forschungen [2] pg. 22).

Priusquam vero de trimetris huius formae quadripertitae verba facere desinam, de senariis interpungendis paucula addam. Etenim versus Sophocleus

οὔτ᾽ αἰσχρὸν οὔτ᾽ ἄτιμον ἔσθ᾽ ὁποῖον οὐ (Ant. 5)

ubi editores post *ἔσθ᾽* vocem (ut ante enuntiatum relativum) interpungunt, ante *ἔσθ᾽* pausam habet graviorem; quod demonstratur etiam versibus 4 et 5 comparatis

οὐδὲν γὰρ | οὔτ᾽ ἀλγεινὸν | οὔτ᾽ ἄτης ἄπο[1])
οὔτ᾽ αἰσχρὸν | οὔτ᾽ ἄτιμον | ἔσθ᾽ ὁποῖον οὐ.

Similiter Philoct. 89

οὔτ᾽ αὐτὸς | οὔθ᾽ ὥς φασιν | οὑκφύσας ἐμέ

et suadente arte logica et re metrica non post *οὔθ᾽* maior pausa est, immo ante.

---

1) Sic Birtius Mus. Rhen. LXIX p. 601.

Quibus absolutis historiae trimetri quadrimembris enarrandae tandem finem apponamus. Romani enim usi sunt istis senariis quadripertitis fere numquam.

Ut vero nobis post hexametros examinatos versus miuri attingendi erant, ita senariis transactis breviter agendum est de choliambis. Qui et ipsi ineunt in omnes has trimetri formas gradationibus ornatas. Etenim modo recte legeris choliambos invenies tripertitos, quorum exemplum affero illum a Pelckmanno perperam percussum

ἐφθέγγεθ' | ὡς ὁ πηλὸς | ὁ Προμηθεῖος.

Nec non desunt choliambi quadripertiti, quorum exemplum habeas

φίλος οἶ; τί δάκνεις; — ἐχθρὸς εἶ; τί οὖν σαίνεις;
(Babrii fab., ed. Eberh., 87, 5)

quo versu Babriano observato semiquinariam denuo intelleges incisionem potiorem esse in trimetro, ita ut ceterae prae illa paululum abscondantur. Hic enim ille est versus Babrianus

◡ ◡ – | ◡ – – || – ◡ – | ◡ – – –

Gradationes autem istas nihilo minus rariores occurrere sponte intellegitur in choliambis, quippe quibus pingatur aut aliquid ad derisionem pertinens, ut est in Hipponactis versibus, aut vitae vulgaris humilitas, quod habes in Herondae mimiiambis[1]), aut sententiae leviores, cuius rei exempla nobis praesto sunt Babrii fabulae Phoenicisque fragmenta nuper reperta; cum contra progressionibus in-

1) Quin etiam in Theocriti carminibus mimicis rariores scimus occurrere versus illos quadripertitos quam in idylliis bucolicis.

ductis versus plerumque fieri graviores rebusque gravioribus aptari intellexerimus.

Superest unum. Nam postquam per totam hanc opellam hexametrum et trimetrum ita contemplati sumus, quasi si conformatio eorum inde ab origine perfecta et semper eadem fuisset: nunc quidem ad origines eorum et tamquam ad cunabula nos demittamus oportet. Diiudicandae enim sunt breviter secundum ea, quae supra protuli, sententiae eorum, qui de hac impeditissima quaestione disseruerunt.

Ac primum quidem Aristotelis (ars poet. cap. IV) habeas sententiam: *τό τε μέτρον ἐκ τετραμέτρου ἰαμβεῖον ἐγένετο.* Utrum ex tetrametro trimetrus an post illum[1])? Neutrum recte dictum esse censebis. Si ex tetrametro: en nostratium sunt, qui vice versa tetrametrum perhibent cretico agglutinato ex trimetro ortum esse (Ritschelius in praef. Plauti Trin.). Utraque sententia parum munita est.

Nuper vero duo exstiterunt viri doctissimi, qui et ipsi contraria de illorum versuum Graecorum origine proferentes tacite alter alteri impugnabant, Usenerum dico et Schroederum.

Atque Usenerus, cuius rationem praeierunt et alii et Bergkius, vel hexametros vel trimetros contendit (Altgriechischer Versbau, a. 1887, pg. 104sqq.) in principio ex binis particulis eisque, quod attinet ad longitudinem, paribus conflatos esse; id quod nunc etiam intellegatur ex caesuris trimetri et hexametri semiquinariis nec non incisione hexametri, quae est post tertium trochaeum[2]).

1) Trimetrum iambicum ex ipsorum Graecorum opinione metrum esse vetustissimum intellegimus ex eis, quae de Iambe ancilla narrabantur (hymn. Hom. in Cer. 202sqq.). Conferas quae leguntur de Iambo duce: Kinkel E. G. Fr. pg. 51 frgm. 4.

2) Quam Useneri sententiam refutat etiam Solmsenius (Unters. zur griech. Laut- und Verslehre, 1901: pg. 158sq.).

Secus docuit, qui optime de Pindaro meritus est, Schroederus (Vorarbeiten zur griech. Versgeschichte 1908: pg. 92 adnot.), qui hexametrum non aliter ac trimetrum ex enoplio derivare videtur. Et ille quoque in hac re examinanda pro fundamento usus est caesurarum compagibus quae in versibus variae inveniuntur.

Sunt qui sic ut K. Witte (Mus. Rhen. LXIX, 1914, pg. 205 sqq.) caesuras tertii pedis seu semiquinariam seu trochaicam primarias esse putent formamque

– ◡ ◡ – | ◡ ◡ – ◡ ◡ – ¦ ◡ ◡ – ◡ ◡ – ⏓

ex versibus in tertio pede incisis postea ortam esse (l. l. pg. 219). Nam in hac quoque forma Witte caesuram tertii pedis latere autumat (pg. 222). Quibus argumentis nititur ille? Caesuras tertii pedis longe crebriores esse dicit. At inde nihil concludi potest quod ad origines versuum pertinet. Quin etiam si hexametros semiternaria et semiseptenaria istructos post hexametros tertii pedis caesura adornatos ortos esse demonstratum esset (id quod omnino non potest demonstrari): num inde ex illis illos ortos esse efficeretur? Mihi contra verisimilius videtur in hexametris ex initio caesuras statutas esse pulchritudinis legibus modo semiternariam, modo semiquinariam, modo tertii pedis trochaicam, modo semiseptenariam, modo bucolicam, modo illam quam detexi in primo pede positam, quarum quae sit antiquissima omnino dici non potest.

Sed errarunt etiam illi. Etenim compages quae exstant non sunt versuum, qui ex minoribus partibus ut existimant illi, complicantur, sed versuum plenorum quorum ambitus, quod contrarium est, dissolvitur et distribuitur in aliquot membra, id quod ego per has paginas demonstrare conatus sum. Quoniam enim versum iam antiquitus divisum esse vidimus modo in binas modo in ternas particulas, ita ut incisionum compages modo hic modo illic animadvertantur: nonne versus ea aetate, de qua antiquissima carmina testi-

monium faciunt, non ex minoribus coniungi sed in minora membra distribui arbitremur oportet? Quicumque vero ut Usenerus hexametros trimetrosque ex binis particulis brevioribus concretos esse putent: qua ratione quaeso illi interpretabuntur versus iam antiquitus velut hexametros Homeri, Archilochi trimetros, exstantes non bipertitos tantum sed etiam tripertitos? Neque enim ei versus, unde Usenerus bipertitionis hausit indicia, vetustiores sunt quam tripertiti illi. Similia autem dici possunt in Schroederum, qui, quamquam de hexametri trimetrique origine certam nondum protulit sententiam, ex versuum forma certa certam versuum originem concludi posse ratus omnes alias trimetri et hexametri formas non minus sane veteres vix explanare potest. Nam omnibus incisionibus versuumque formis observatis ea tantum lucramur quae ad historiam versuum pertineant, non ad originem versuum viam aperiant.

Equidem aliter statuam. Nam mihi contra, priusquam versus incisionibus variis varie dividi coepti sunt, versus exstitisse longiores videntur nullis certis compagibus instructi[1]). Qui versus primo quidem cantati postea sine cantu recitabantur. Donec autem cantabantur, per modulos multum varietatis immiscebatur; cum vero et carmina ipsa longiora fierent et versus recitari coepti essent, varietatem induci certis caesuris pulchritudinis lege positis necesse fuit[2]). Qua ratione accidit, ut versus et hexametri et trimetri mox modo in binas modo in ternas modo in quaternas partes dividerentur; ita ut fieret


---

1) Quorum vestigium fortasse agnoscendum in hexametro illo vetustissimo Homerico


οἶδ' ἐπὶ δεξιά, οἶδ ἐπ' ἀριστερὰ νωμῆσαι βῶν

qui non incisionibus, tamen caesuris caret certis.


2) Non aliter stropha quoque quae dicitur Sapphica primum quidem donec cantabatur caesuris carebat certis. Postea vero, scilicet Horatii imprimis tempore, cum carmina non semper ad modulos redigebantur, caesurae statutae sunt certae.



Hac tantum ratione explanari potest, id quod ex illorum rationibus nequaquam potest, quod iam antiquitus simul exstiterunt et pari loco habiti sunt versus variarum formarum et tripertiti et bipertiti et quadripertiti. Versus autem longiores illi, quos supra una linea picta indicavi, fortasse ipsi olim aut conflati sunt (ut contendit Usenerus) ex duobus membris brevioribus, ita ut valeat stemma



aut fortasse facti sunt (quae est Schroederi de trimetro sententia) ex enoplio. Quae diiudicari non iam possunt. Etenim cum versus longiores, quos caesuris nondum divisos sumpsi, vix deprehendere possimus: qui usque ad versus breviores, unde longiores illi forsitan conflati sint, retro spectabimus? Excogitari autem potest, si virgam pro versu ponimus, per has stationes progressum factum esse



1) Hic quidem mihi in mente sunt hexametri

– ◡◡ – | ◡◡ – ◡◡ – | ◡◡ – ◡◡ – ⏓

et trimetri ◡ – ◡ | – ◡ – ◡ | – ◡ – ◡ –

2) Hic in animo habeo hexametros quartae illius formae, quorum ictus arithmetice distributi sunt.

Sed quis hoc serio? Caveamus ne animus nobis abeat in opinionem quasi origines certe indagari possint. Immo operae pretium est perspexisse omnino nihil accurati et certi de hac re dici posse. Itaque iterum atque iterum confusos esse contendo a Bergkiis Useneris Schroederis versus breviores ex quibus olim versus longiores fortasse nati sunt, cum eis versuum colis in quae versus longiores incisionis lege postea dividebantur. Cumque illi viri docti sibi viderentur assecuti esse versus, qui complicantur, non assecuti sunt nisi eos, qui in partes suas solvuntur.

Gerckei quoque ratio ac sententia vix potest manere. Etenim ille (Einl. in d. Altertumsw. v. Gercke u. Norden, I^2: pg. 74/75), qui ceterum cautissime discernit compages versuum, qui ex compluribus complicantur («Dihäresen» ut ait ille), a compagibus versuum, qui in partes discedunt («Zäsuren»), caesuram tamen quae dicitur bucolicam exstare putat ut compagem, per quam hexametros olim ex duobus metris per se stantibus («4 + 2 Metra») concrevisse intellegatur. Concrevisse fortasse infitias non eo. At de talibus rebus omnino nihil certi dici posse ex omnibus quae supra disseruimus videtur elucere.

Sed satis iam de istis epicorum et tragicorum poematum versibus disputatum est. Etenim manifesto intelleximus hexametrum et trimetrum genitos esse a populo Graeco vel potius ab Ionibus tamquam geminos fratres, omniaque accidisse alteri quae et alteri acciderunt idque propterea quia etiam alteri acciderunt; Iones enim sunt apud quos artes et iambica et epica et elegiaca ortae sunt.

Iam paucis aggrediamur carmina Graecorum lyrica, ut etiam in iis gradationis vestigia investigemus.

In carminibus epicis versus plerumque musices auxilio carentes per varias caesuras progressionesque ipsi varietatem excolere coeperunt. Nec non poematum scenicorum senariis et alia et ipsa gradatio assumenda fuit, ne trimetri aut ante aut post splendida chori cantica recitati parum splendidi

viderentur[1]). Aliter se habebant carmina lyrica, quibus ipsis et modulorum musicorum et saltationum subsidia inessent. Quapropter in lyricis carminibus, etiamsi alia orationis ornamenta nequaquam desunt, progressiones rarius inveniri par est.

Itaque inveni in frustulis lyricis, quae Bergkius olim typis exprimenda curavit, vix ullam gradationem. Videsne quam praeclari fuerint Graeci in artis adiutoriis admittendis, ubi non omittenda erant, et, quod maius, in omittendis, ubi non admittenda erant?

Sed enim carmina lyrica saepe sunt ex argumentis lyricis et epicis mixta, id quod valet de Pindari praecipue carminibus. Inde factum esse puto quod animadvertuntur in eis etiam progressiones quaedam. Etenim Pindarus hymnos suos non raro initium capere voluit a gradatione triplici. Cuius rei exempla apponam sumpta ex Olympiis.

In carmine quod est Olympiorum primum Pindarus ad ludos illustrandos tres comparationes petitas ab aqua, ab auro, a sole proponit:

1. *Ἄριστον μὲν ὕδωρ ·* : 9 morae
2. *Ὁ δὲ χρυσὸς αἰθόμενον πῦρ ἅτε διαπρέπει νυκτὶ μεγάνορος ἔξοχα πλούτου ·* : 37 morae
3. *Εἰ δ' ἄεθλα γαρύεν ἔλδεαι, φίλον ἦτορ, μηκέθ' ἁλίου σκόπει ἄλλο θαλπνότερον ἐν ἁμέρᾳ φαεννὸν ἄστρον ἐρήμας δι' αἰθέρος.* : 65 morae

Similiter in undecimo ineunte, ubi poeta tres enumerat res, quibus hominibus opus sit:

1. *Ἔστιν ἀνθρώποις ἀνέμων ὅτε πλείστα χρῆσις ·* : 22 morae
2. *Ἔστιν δ' οὐρανίων ὑδάτων, ὀμβρίων παίδων νεφέλας ·* : 27 morae

---

1) Euripides autem, in cuius fabulis chori cantica rariora, rariores etiam gradationes adhibuit.

3. *Εἰ δὲ σὺν πόνῳ τις εὖ πράσσοι, μελιγάρυες ὕμνοι ὑστέρων ἀρχὰ λόγων τέλλεται καὶ πιστὸν ὅρκιον μεγάλαις ἀρεταῖς.* : 65 morae

Nos autem casuine talia attribuamus? Immo consilio hoc deberi intellegemus inspecto carmine secundo ineunte, ubi progressiones triplices binae positae sunt, ita ut praecedant interrogationes tres, tres responsiones sequantur:

	(Αναξιφορμιγγες υμνοι)	
I 1.	*τίνα θεόν,*	: 5 morae
2.	*τίν' ἥρωα*	: 6 morae
3.	*τίνα δ' ἄνδρα κελαδήσομεν;*	: 12 morae
II 1.	*ἤτοι Πίσα μὲν Διός ·*	: 11 morae
2.	*'Ολυμπιάδα δ' ἔστασεν Ἡρακλέης ἀκρόθινα πολέμου ·*	: 28 morae
3.	*Θήρωνα δὲ τετραορίας ἕνεκα νικαφόρου γεγωνητέον, ὄπι δίκαιον ξένων, ἔρεισμ' Ἀκράγαντος, εὐωνύμων τε πατέρων ἄωτον ὀρθόπολιν.*	: 70 morae

Sic quod mihi proposui assecutus esse videor. Priusquam autem operae finem apponam, plura quamvis pauca addere in universum mihi liceat de gradatione illa quae ad ambitum membrorum pertinet. Quae non apud Graecos solos floruit. Nam, ut exemplum afferam, Romani si cui quid rite et solemniter dono dabant hac triplici formula utebantur quae est *D. D. D.: dat, dicat, dedicat.* Fingamus vero vocabula haec tria posita esse contrario ordine, ita ut verba ampliora praecedant, vox brevissima posita esset in extremo loco: nonne omne decus sic deletum esset? Accedunt alia. Nam saepe, ubi enumeratio fit, et in omni versuum genere progressio nascitur; ut est apud Catullum

loca facta nationes (IX, 7)
2 3 7 morae.

Quin etiam Martialis, quem ceterum in re metrica simplicitatem appetivisse constat, ad enumerationes instituendas interdum similiter rem agit in metris lyricis; ita in hendecasyllabo:

lusus delicias facetiasque (X, 35, 9)
4 6 8 morae.

Quia autem in enumerationibus haec gradatio gratissima est: ea de causa accidit, ut inertius sonent versus progressione non instructi; ut est

ὑσμῖναί τε μάχαι τε φόνοι τ' ἀνδροκτασίαι τε (*λ*, 612)

nec non

Σμύρνα, Χίος, Κολοφών, Ἰθάκη, Πύλος, Ἄργος, Ἀθῆναι
(A. P. app. Plan. 298)

aliique eiusmodi versus.

Eadem vero de causa accidit ut versus, quibus exeuntibus parvulum aliquod membrum adiciatur, aurem feriant violentius et tamquam necopinato. Cuius generis est illud Homericum

. . . . *ὀρώρει δ' οὐρανόθεν νύξ*

ubi nox quasi ex insidiis nos inopinata opprimit. Quod autem est inopinatum, persaepe risum movere potest; nam quod ridiculum est, semper inopinatum sit oportet. Itaque eiusdem formae versibus ad risum quoque excitamur. Tale est illud tritissimum

. . . . *nascetur ridiculus mus*

ubi parvitas eius rei quae nascitur parvitate monosyllabi exprimitur.

Hic autem, ubi finem appono labori, erit fortasse qui quaeret, num poetae antiqui omnes eiusmodi leges in carminibus condendis versibusque pangendis re vera cogitatione comprehenderint, animo perceperint, conscii adhibuerint. Neutiquam putaverim, utpote qui *οὐ σοφίᾳ ποιοῖεν,*

ἃ ποιοῖεν, ἀλλὰ φύσει τινὶ καὶ ἐνθουσιάζοντες. Attamen rationes illae et leges, quae carmina scribenti se offerunt, etiamsi a poetis ipsis non ubique cogitatione percipiuntur, tamen casui apponendae non sunt. Nihilo minus, quod ego nimis geometricorum more hanc metrorum examinationem instituerim atque omnia ad calces revocaverim, fortasse vituperabitur. Ego autem ita me defendam, ut in Gellii libris traditum esse moneam (N. A. XVI, 18) μετρικήν et κανονικήν partes fuisse geometriae, legimusque in eiusdem Gellii scriptis (XVIII, 15) vel a M. Terentio Varrone rationes quasdam versuum geometricas inquisitas esse. Quapropter quod rationes geometricae a me quoque adhibitae sint ignosces. Etenim omnino haud parvi erant momenti praecipue apud Graecos per omnem vitam res mathematicae. Quod vestigiis affirmatur multis. Numerus enim, artis metricae fundamentum, erat et idem philosophiae Graecorum cuiusdam et fundamentum et caput. Deinde μέτρον vocabulum ipsum non tantum adhibebatur in arte quae inde nomen cepit, sed etiam in philosophia et adeo in rebus moralibus inde a septem sapientum aetate usque usurpabatur. Haud aliter νόμος vox, quae in arte musica metricae arti cognatissima modulos significat, in philosophia valet idem ac vocabulorum omnium gravissimum, μοῖραν dico.

Vita.

Fridericus Ludovicus Schuchardt natus sum die 15 mensis Junii anni 1889 Coloniae patre Gustavo Schuchardt ex Thuringiis oriundo matre Anna e gente Litt nata in Belgica. Fidem profiteor evangelicam; Borussus sum.

Litterarum elementis in urbis patriae aliquot ludis acceptis gymnasium regium Coloniense, quod tunc ab Oscaro Jaeger regebatur, per duos annos frequentavi. Postea gymnasia adii Elberfeldinum et inde ab anno 1908 Solingiense. Vere anni 1910 Carolo Vorlaender magistro ordinario Solingi maturitatis quod dicunt testimonio instructus Berolinum me contuli, cuius universitatis civis per duos semestres in studia philologa philosophica theologica incubui. Inde vere anni 1911 Turicum profectus sum, ubi per sex menses universitatis alumnus fui. Autumno anni eiusdem transmigravi Marpurgum civisque factus sum almae Philippinae. Ibi inde a quinto semestri etiam studia semitica Petro Jensen duce suscepi. — Rigorosum quod dicitur habitum est Kal. Aug. 1914, eisdem horis et die, quibus bellum inter Germanos et Rossos exortum est. Die 3 mensis Novembris ad stipendia facienda me contuli Monasterium, ubi nunc quidem versor miles.

Docuerunt me viri doctissimi Berolinenses: Dessoir, Diels, Harnack, Meister, Norden, Riehl, Max C. P. Schmidt, Strack, Vahlen, Weissbach, Wentzel, de Wilamowitz-Moellendorff; Turicenses: Compernass, Hausheer, Schmiedel, Schwyzer; Marpurgenses: Birt, Boehmer, Budde, Bultmann, Cohen, Hartmann, Heitmüller, Herrmann, Jachmann, Jacobsohn, Jacobsthal, Christianus Jensen, Petrus Jensen, Juelicher, Kalbfleisch, Klebs, Maass, Natorp.

In proseminario philologo Marpurgensi per sex menses disciplina usus sum Christiani Jensen; in seminario philologo per tres semestres (per unum senior) Birtii, Jachmanni, Kalbfleischii, Maassii. Praeterea per bis senos menses seminariis interfui archaeologico Jacobsthalio regente, philosophico Natorpii; per sex menses seminariis et Buddei et Boehmeri theologicis.

Omnes illos magistros grato animo semper colam, praecipue Petrum Jensen, cui permulta debeo, nec non Birtium, qui mihi in librum suum (vid. Krit. und Herm. pg. 367 sqq.) aditum fecerit atque cum alias tum in hac dissertatione perficienda benignissime me adiuverit.